intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, A nulla ſit, & invalida eo ipſo, abſque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat: quinimmò is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur, & tam ipſe, quàm eligentes, ejuſque fautores, & complices ſententiam excommunicationis, & anathema, aliaſque cenſuras, & pœnas invaſoribus Sedis Apoſtolicæ à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis impoſitas, pariter ipſo facto incurrant, à qua, ſicut ab alia quacunque in hac Conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu infra imponenda, & irroganda, pœna excommunicationis tam ipſi, quàm quilibet alius, ſive S. R. E. Cardinalis, ſive alia perſona cujuſcunque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, à nullo, neque etiam à majori Pœnitentiario, cujuſcunque facultatis vigore, præterquam à Rom. Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi poſſit, & tam ipſe, ejuſque complices, & fautores, quàm alii quicunque etiam S. R. E. Cardinales hujus Conſtitutionis in aliquo tranſgreſſores aliis graviſſimis pœnis teneantur, futuri Pontificis canonicè intrantis arbitrio irrogandis.

Poſtremò ſtatuimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus, B ut S. R. E. Cardinales quæcunque ſecretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare, & cavere omninò teneantur, cùm intentio, & mens noſtra ſit, electionis hujuſmodi tam ſanctum negotium, ſi fiat per Scrutinium, ſeu Scrutinium, & Acceſſum, ut præfertur, ſecretiſſimè tranſigatur: ac proinde, iiſdem omnibus, & ſingulis S. R. E. Cardinalibus, & eorum ſacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel horum aliquod ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare, ſeu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præſumant, quovis prætextu, cauſa, vel exquiſito colore, ſub eadem excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda.

Ut autem hujuſmodi noſtra Conſtitutio inviolabiliùs obſervetur, tres Cardinales, qui ſingulis diebus Congregationibus agendis præpoſiti ſunt, & cùm iis S. R. E. Camerarius, illam in omnibus, & per omnia obſervari procurent, & faciant. Volumus etiam, & decernimus, cenſurarum, & excommunicationum prædictarum, & aliarum C quarumcunque prætextu, vel cauſa, Cardinales à Summi Pont. electione activa, paſſiva excludi nullo modo poſſe: quas quidem cenſuras, & excommunicationes ad effectum hujuſmodi electionis tantùm, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ſuſpendimus: decernentes eaſdem excommunicationes, & cenſuras eos ſolùm afficere, qui deliquerint, non autem alios Conclavi durante, qui cùm iis conſervati fuerint. Cæterùm, etſi opus non eſſe in Domino confidimus, tamen pro officii noſtri debito, & rei, de qua agitur, gravitate, admonemus, hortamur, & in Domino obſecramus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ut attentè conſiderent perſonæ, quam ſuſtinent officium, & dignitatem, quàm ſacrum prætereà, & quanti momenti ſit opus, quod tractant, & nihil quod ſe non deceat, nihil à re alienum committant, ſed cogitent, quàm pernicioſum futurum ſit univerſæ Eccleſiæ, Chriſti ſanguine acquiſitæ, ſi malè adminiſtretur; ac proindè exuant omnes mundanas curas, & induant ſolum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: memores nihil prodeſſe homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.

D Denique animum advertant, ſe in Conclavi clauſos editiſſima in ſpecula conſtitutos eſſe, & factos ſpectaculum Deo, & hominibus à Domino, cujus negotium gerunt, ſupplicii, vel gloriæ ſempiternæ retributionem citiſſimè laturos. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, fel. rec. Alexandri Papæ III. præd. noſtri in Concilio Lateranen. edita, quæ incipit, Licèt De Vitanda, & aliorum Rom. Pont. prædeceſſorum noſtrorum etiam in Conciliis generalibus promulgatis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Corpore Juris clauſis, quibus omnibus, & ſingulis, quatenus pariter opus ſit, eorum omnium, & ſingulorum tenores, perinde ac ſi ad verbum exprimerentur, pro expreſſis, & inſertis habentes, pro hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus quoque præſentes noſtras coram omnibus in prima Congregatione poſt obitum Pontificis fieri ſolita, & deinde poſt Conclavis ingreſſum, & cùm quis ad Cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis ſimilibus Conſtitutionibus legi, & juramentum ſuper illius obſervatione præſtari, & ita præcipimus, & mandamus. E Quibus Conſtitutionibus, & pœnis in eis contentis, niſi in ſuperiùs expreſſis per hanc noſtram derogare non intendimus, ſed eas in ſui roboris firmitate relinquere. Sperantes etiam, Rom. Pontifices, qui pro tempore canonicè eligentur, omni ſtudio curaturos, ut quæ noſtris hujuſmodi, & in eis ſalubriter ſtatuta ſunt, inviolabiliter, ac etiam ſi opus fuerit, per pœnarum ipſorum contra tranſgreſſores executionem obſerventur.

Denique volumus eaſdem præſentes in valvis baſilicarum Sancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non in Acie Campi Floræ per Curſores noſtros affigi, & publicari, ac eorum exempla ibidem affixa dimitti, & deinde omnes, & ſingulos Cardinales tam abſentes, quàm præſentes, modernos, & qui pro tempore erunt, & alios quoſcunque, quorum intereſt, vel intereſſe poterit quomodolibet in futurum afficere, & ligare, nullamque harum ignorantiam prætendere poſſe, ac ſi perſonaliter intimatæ forent, præmiſſis cæteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statutorum, Decretorum, F Declarationum, Mandatorum, Innodationis, Voluntatis, Admonitionis, Hortationis, Obſecrationis, Inhibitionis, Derogationis, Præcepti, & Suſpenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, decimoſeptimo Kalend. Decembris. Pontificatus noſtri anno primo.

* ROMANI PONTIFICIS AUCTORITATEM QUI SIBI ARROGARUNT.

Clemens VII. Pontifex Romanus, cauſa Henrici VIII. Anglorum Regis, & Catharinæ, uxoris ejus, accuratiſſimè cognita, cùm illos à Deo legitimè conjunctos fuiſſe, nec ab homine ſeparari poſſe, ſcripta ſententiæ formula pronunciaſſet, Rex ſententiam illam non aliter, quàm ſi facta ipſi fuiſſet inju- G ria, interpretatus, doloris ſui ulciſcendi cauſa curavit, ut jusjurandum, quod Clerus Anglicanus Pontifici Romano hactenus præſtiterat, in publicis regni comitiis irritum redderetur, ſeque ipſum, ut quondam Julianus apoſtata, Pontificem Maximum creans, novam jurisjurandi præſcripſit formulam, in qua Clerus, & populus, ipſum Eccleſiæ Anglicanæ, atque Hibernicæ ſummum in terris proximè ſub Chriſto caput, juratò confiteretur. Ac iſto quidem modo Henricus tam ſe, quàm ſuos diviſit, ac ſeparavit ab Eccleſiæ Romanæ Societate, & communione, in qua jam inde à temporibus Joſephi ab Arimathia, omnes illi Reges, & populi vixerant, qui Catholicam Chriſti fidem in iis Inſulis, pro ſua quique ætate, ſequebantur. Ut verò graviorem adhuc vindictam de Pontifice Romano ſumeret, in menſe Novembris comitiis publicis indictis, omnem deinceps in Anglos, & Hibernos juriſdictionem, ac poteſtatem Pontifici Romano ademit, quam ſi quis deinceps ei detuliſſet, perduellionis reus fieret. Quinimmò ipſum Papæ vocabulum perſecutus, edixit, ut de cætero nullus Pontificum Romanorum vocaretur Papa, tantùm Epiſcopus Romanus; Anglicanæ verò Eccleſiæ ſummum caput ſolut Rex habere- H tur; Cujus etiam eſſet, authoritate pleniſſima, errores, hæreſes, abuſus omnes in Anglicana Eccleſia emendare. Illi omnium Sacerdotiorum integri proventus primi cujuſque anni, quo qui beneficium aliquod ſortitus eſſet, ſolverentur. Illi omnium Eccleſiaſticarum dignitatum decimæ redderentur. Quam legem Rex tanta ſævitia executioni mandavit, ut capitis damnaretur, ſi cujus in libro vel ſolum nomen Papæ non deletum extaret. Per Calendaria, per judices, per ſcripta Patrum, per totum jus Canonicum, per Scholaſticos Doctores, Papæ vocabulum lituris undique obducebatur. Immò in fronte operum D. Cypriani, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Leonis, Gregorii, Proſperi, ac aliorum Eccleſiæ luminum, ſinguli ſcribere coacti ſunt, ſi quid in eis operibus ineſſet, quod Pontificis Romani Primatum tueretur, aut confirmaret, ſe illi verbo, ſententiæ, rationi jam nunc renunciare, nec tanti criminis reos unquam eſſe velle, &c. *N. Sanderus lib. de Schiſm. Anglic. anno* 1532. & 1534.

Hodie paſſim Calviniſtæ omnes volunt Principem, Ordines,

Ordines, aut Magiſtratus caput eſſe Eccleſiæ, cum poteſtate A eam regendi: qua de re alibi latè diſſeruimus.

* PONTIFICES ETHNICORUM QUI, ET UNDE DICTI?

Conſtat ex initio hujus loci, Pontifices à poſſe, & facere, quod ſcilicet plurima facere poſſent, appellatos: niſi cum Q. Scævola dicamus, Pontificem utpotè ſacrorum Principem, à facere, ut eſt idem, quod ſacrificare, nuncupari. Quod enim à Ponte faciendo communiter deduci velint Pontificis nomen, improbabile videtur ex eo, quòd nomen Pontificis jam eſſet in uſu, antequam Sublicii pontis, qui ſacer erat, iis cura demandaretur, ut initio hujus loci latè deduximus.

Placet prior Etymologia, & uſus etiamnum obtinuit, ut Pontificium accipiatur pro jure, ac poteſtate: quod variis exemplis *Lælius Biſciola* oſtendit *l. 8. Horar. ſucciſ. c.* 10. & plurimum auctoritate ſuprà etiam à nobis demonſtratum eſt.

ETHN. PONTIFICUM PRÆROGATIVÆ. B OFFICIA.

De Pontificibus inter Ethnicos, hæc: Veteres Pontifices apud Romanos de omnibus cauſis ad ſacras pertinentibus judicant, tam inter magiſtratus ſacrificos, quàm inter homines; novaſque leges de ſacris condunt arbitratu ſuo, ſicubi ſcriptis legibus deſtituuntur: magiſtratus, penes quos ceremoniæ ſunt ad ſacrificia, ſacerdoteſque omnes examinant, miniſtros ſacrorum continent in officio, ne quid præter ſolemnes ritus faciant: à profano etiam, & imperito vulgo conſuluntur de cultu Deorum, ac genitorum, aliiſque religionibus: quòd ſi quem animadvertant præſcripta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxii, nec ſenatui, vel populo rationem reddere tenentur, id genus Sacerdotes, ſive ἱεροδιδασκάλους aliquis appellare voluerit, ſive ἱερονόμους, ſive ἱεροφύλακας, ſive (ut nos cenſemus) ἱεροφάντας, id eſt, Sacrorum Doctores, adminiſtratores, cuſtodes, interpretes, à verò non aberraverit. Quorum ſi quis è vita exceſſerit, in defuncti locum alius ſolet ſubrogari, non populi ſuffragiis, ſed qui collegio maximè videtur idoneus, ex omni civium numero eligitur: qui C tum demum Sacerdotium adit, ſi collegii judicium felici augurio comprobetur. Hi ab uno ſuorum operum reficiendo, ſcilicet ponte Sublicio, Latina lingua vocantur Pontifices. *Dionyſ. Halic. lib.2.*

COLLEGIUM.

Pontificum collegium uſque ad Theodoſii Senioris Imperatoris tempora Romæ fuit: quibus religione Chriſtiana jam omnia obtinente, Imperatoribus omnium redditus fiſco applicati ſunt. Quare poſteà planè Pontifices, Augures, & reliqui Sacerdotes (Ethnici) creari deſierunt, cùm redditibus omnibus mulctati eſſent, *Zoſimus*. Minoribus Pontificibus creatis Numa pontificum deinde maximus, Numam Marcium. M. F. ex Patribus legit, eique ſacra omnia exſcripta, exſignataque attribuit: quibus hoſtiis: quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, privataque ſacra Pontificis Maximi ſcitis ſubjecit, ut eſſet quò conſultum plebs veniret, ne quid di- D vini juris negligendo patrios ritus, peregrinoſque adſciſcendo turbaretur. Nec cœleſtes modò ceremonias, ſed juſta funebria, placandoſque manes, ut idem Pontifex edoceret, quæque prodigia fulminibus, aliove quo viſo miſſa ſuſciperentur, atque curarentur. *Livius Decad. 1. lib.2.*

Multi tam Patricii, quàm Plebeii Pontifices Maximi creati fuerunt, uſque ad C. Julium Cæſarem: huic ſucceſſere Lepidus, & Auguſtus: poſt quem omnes Cæſares Pontificatum Maximum, vel ſuſceperunt, vel ſe Pontifices Maximos appellari paſſi ſunt. Primus autem omnium Gratianus edicto propoſito Titulum hunc repudiavit, & ſe Pontificem Maximum appellari vetuit: atque ita ea dignitas Ethnica defecit in Imperatoribus. *Zoſimus*. Quomodò, deindè, quo tempore, & à quibus nomen iſtud ſit uſurpatum, quo fine, & eventu, hiſtorici demonſtrant.

* Populus. E

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

POpulus, Græcè, λαὸς, & λαικὸς, popularis dicitur. Eſt autem populus, cœtus juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus, *ſecund. Aug. l. 1. de civit. Dei.*

Populus eſt multitudo hominum juris conſenſu, & concordi communione ſociata, *ſec. B. Thom. prima par. q. 31. art. 1.* Differt autem populus à plebe, quod in populo omnis pars civitatis, omneſque ordines continentur: ex plebe autem excipiuntur nobiliores patricii.

Populus, ut aliquibus placet, dicitur ἀπὸ τῶ πολλῷ πλειόνων, hoc eſt, multo pluribus, quod omnes ordines, ut dictum eſt, complectatur. Plebs verò ἀπὸ τῶν πλειόνων, hoc eſt, à pluribus: plures enim ſunt plebeii, quàm patricii.

Populus. Heb. *ham*. Multitudo ingens, quæ ſuo numero obtegit, & obſcurat terræ ſuperficiem. A verbo *hamam*, id eſt, obtexit, obruit multitudine. Hinc Græcè ἀμάω, & ἀμῶ, congrego, ἄμμος, arena, cujus numerus innumerus, ἅμα, ſimul, F & δῆμος, populus. Latinè propriè ſignificat cœtum hominum unius civitatis, Reip. Monarchiæ, jure, & communione officiorum, ſocietatum, à quodam magiſtratu gubernatum. Prætereà Hebræis etiam ſignificat paucos homines, vel multitudinem incompoſitam: aliquando etiam amplam familiam. Speciatim verò populus Iſraelis eſt numeroſa proles Jacob Patriarchæ in 12. tribus diſtincta. Populi item, ſeu populorum nomine frequenter apud Prophetas hoſtes Eccleſiæ, & gentiles ad Chriſtum convertendi deſignantur. Nonnunquam, præſertim cùm de Deo, & Chriſto agitur, pronomenque, ſuus, meus, tuus, vel nomen Dei appoſitum occurrit, Eccleſiam, vel ex Judæis tantùm, vel ex Judæis, & Gentilibus conſtitutam indicat.

POPULI INCONSTANTIA. MOBILITATIS JUDICIA ERRONEA. COECA.

Non comitiis judicat ſemper populus, ſed movetur plerumque gratia, cedit precibus, facit eos, à quibus eſt maximè ambitus: denique ſi judicat, non delectu aliquo, aut ſapientia ducitur ad judicandum: ſed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non enim conſilium in vulgo, non ratio, G non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes, ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda, duxerunt. *Cic. Pro Planc.*

Nullum fretum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum. Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpè perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpè etiam ſine ulla aperta cauſa fit aliud, atque exiſtimamus, ut nonnunquam ita factum eſſe etiam populus admiretur, quaſi verò non ipſe fecerit. *Idem Pro Muræna.*

Populi, qui avitis ſedibus relictis novas quærunt, fiunt degeneres, miſti, & tandem imbelles, ſicut in frugibus, pecudibuſque non tantùm ſemina ad ſervandam indolem valent, quantum terræ, cœlique, ſub quo aluntur, proprietas mutat. Macedones, qui Alexandriam in Ægypto, qui Seleuciam, ac Babyloniam, quique alias ſparſas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Ægyptios degenerarunt. Maſſilia inter Gallos ſita traxit aliquan- H tum ab incolis animorum. Tarentinis aliquid ex Spartana dura illa, & horrida diſciplina manſit. Generoſius in ſua quicquid ſede gignitur, inſitum alienæ terræ in id quo alitur, natura vertente, ſe degenerat. *Livius, Decad. 4. lib. 8.*

Nunquam volui populo placere. Nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio. Quis placere poteſt populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur: ſimilem te illis facias oportet. Non probabunt, niſi agnoverint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quàm qualis aliis. Conciliari niſi turpi ratione amor turpium non poteſt. Quod ergo illa laudata, & omnibus præferenda artibus, rebuſque Philoſophia præſtabit? Scilicet, ut malis tibi placere, quàm populo: ut æſtimes judicia, non numeres: ut ſine metu Deorum, hominumque vivas: ut aut vincas mala, aut finias. Cæterùm ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi intrante te clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota civitate te fœminæ, puerique laudave-

laudaverint; quidni ego tui miſerear, cùm ſciam, quæ via ad iſtum favorem ferat? *Senec. Epiſt. 39.*

Quando præ ira populus in furorem agitur,
Atque ac ignis vehemens vix extingui poteſt,
Si quis autem ipſo intento paulatim
Relaxans ſequatur, occaſionem obſervans,
Forſan interim ſpiritus ſublimes remittet: quibus remiſſis
Facilè impetrabis ab eo, quantum volueris.

Horatius alibi.

—— Populus ſtultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ ſervit ineptus,
Dum ſtupet in titulis, & imaginibus.

Seneca in Hippolyto.

Tradere turpi faſces populus
Gaudet: eoſdem colit, atque odit.

Idem in Octavia.

Calcat jacentem vulgus, inviſum opprimit,

Ovid.

Nobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus,

Juvenalis Sat. 10.

Turba tremens ſequitur fortunam, ut ſemper, & odit
Damnatos,

HUJUS MOBILITATIS, SIVE INCONSTANTIÆ EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Rediens Moyſes de terra Madian in Ægyptum, narravit omnia verba Domini, pro quibus miſerat eum, ſequitur: Credidit populus, audieruntque, quod ſanctificaſſet Dominus filios Iſrael, & proni adoraverunt. Poſteà verò cùm eſſent afflicti ab exactoribus Pharaonis, dixerunt Moyſi, & Aaron: Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſervis ejus, & præbuiſtis ei gladium, ut occideret nos. *Exod.* 4. 5.

Cùm poſt multas Ægypti plagas ditati, & armati egrederentur Filii Iſrael de Ægypto Domino præcedente, & viam ejus eis per nubem, & ignem oſtendente, viderunt Ægyptios poſt ſe venientes, & timuerunt valdè, & dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, & ideò tuliſti nos, ut moreremur in ſolitudine Dei: deinde confortati ſunt per Moyſen, cùm Dominus mare rubrum diviſiſſet, & populus ſicco pede tranſiſſet, ſubmerſus eſt exercitus Pharaonis, & timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus, dicentes. Cantemus Domino glorioſè, &c. *Exod.* 14. 15.

Satis autem citò pòſt venientes in Marath, murmuravit populus propter aquas nimis amaras, quibus per lignum appoſitum dulcoratis, conſequenter murmuraverunt pro defectu cibi, dixeruntque ad Moyſen, & Aaron: Utinam mortui eſſemus in Ægypto, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, &c. Et miſit Dominus veſpere coturnices, & manna pluit eis de cœlo manè. *Exod.* 15. & 16.

Poſt hoc cùm daturus eſſet eis legem, dixerunt: Cuncta, quæ loquutus eſt Dominus, faciemus. *Exod.* 19.

Cùm narraſſet eis Moyſes verba, & præcepta, quæ à Domino acceperat, ſimilia verba dixerunt. *Exod.* 24.

Cùm autem moram faceret Moyſes in monte cum Domino in deſcriptione tabernaculi, congregatus eſt populus adverſus Aaron, & ait: Fac nobis Deos, qui nos præcedant. *Exod.* 32.

Deinde cùm erectum eſſet tabernaculum, & factæ oblationes Principum poſt numerationem bellatorum, & Levitarum, cùm eſſent omnia ordinata, quomodo debebant proficiſci in via, poſt modicum ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium præ labore. *Num.* 11.

Poſt modicum audita relatione exploratorum, murmuravit populus, & flevit, dixitque alter ad alterum: Conſtituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum. *Num.* 13. & 14.

Audientes, quòd diſplicuit Domino murmur eorum, voluerunt aſcendere montem, & contra voluntatem Moyſis pugnare, & tunc fuerunt ab hoſtibus debellati. *Eodem.*

Rurſus in ſeditione Chore multi ſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron, quibus terribiliter caſtigatis, murmuravit etiam multitudo filiorum Iſrael contra Moyſen, & Aaron, dicens: vos interfeciſtis populum Domini. Cùmque oriretur ſeditio, & tumultus creſceret, Moyſes, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. *Num.* 17.

Cùm autem per miraculum virgæ Aaron compeſcuiſſet eos Dominus, dixerunt: Ecce conſumpti ſumus, omnes peribimus: quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. *Num.* 17.

Ulterius procedentes venerunt ad aquas contradictionis, ubi taliter jurgati ſunt adverſùs Moyſen, & Aaron, quòd ipſi etiam diffiſi ſunt de divina virtute. Propter quod & puniti ſunt à Domino. *Num.* 20.

Poſteà fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua: & initiatus eſt Iſrael Beelphegor. Et præcepit Dominus principes ſuſpendi contra Solem in patibulis. *Num.* 25.

Cùm liberaſſet Gedeon populum filiorum Iſrael de manu Madian, & occidiſſet Zebee, & Salmana, dixerunt omnes filii Iſrael ad eum: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filii tui. Ipſo tamen mortuo, cùm haberet ſeptuaginta filios, nullum de ipſis aſſumere in Dominum, & Principem curavit. *Judic.* 8.

Samuel Propheta liberavit populum Iſrael de manu Philiſtiim, & recuperavit urbes, quas illi abſtulerunt Iſrael: poſteà congregati ſunt, & petierunt Regem ſibi conſtitui contra voluntatem Domini, & Samuel. 1. *Reg.* 7. 8.

Quamvis David bene populum rexiſſet, & tot victorias habuiſſet, tamen ſatis citò facta eſt conjuratio valida contra eum. Populus verò concurrens augebatur cum Abſalon. 2. *Reg.* 8. & 15.

Notandum verò cùm rediret David in Jeruſalem, populus illuc certatim volebat eum reducere cum honore, ſed pro eo, quod viri Juda loquuti ſunt cum viris de decem tribubus, ſeparatus eſt omnis Iſrael à David, ſequutuſque eſt Sebam filium Bochri. 2. *Reg.* 19. 20.

Sub Salomone filii Iſrael temporalium rerum abundantiam habuerunt, & honore maximo floruerunt, cùm tamen à filio ſuo pro majori parte, occaſione unius duri verbi, citiùs receſſerunt 3. *Reg.* 10. & 12.

Audientes filii Iſrael terribilem potentiam Holofernis, præoccupaverunt omnes vertices montium, & muris circundederunt vicos ſuos, & congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. Poſtmodum cùm vidiſſent ſe arctari ab exercitu, congregati ſunt ad Oziam omnes ſimul, & dixerunt: judicet Dominus inter nos, & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Aſſyriis. *Judith.* 7.

Cùm compleſſet Jeremias verba, quæ præceperat ei Dominus: ut loqueretur ad populum, apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus, dicentes: Morte moriatur. Et poſt pauca dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes, & Prophetas. Non eſt viro huic judicium mortis. *Jer.* 26.

Acceſſerunt omnes à parvo uſque ad maximum ad Jeremiam Prophetam, & dixerunt. Omne verbum, in quo miſerit te Deus ad nos, faciemus, ſive bonum, ſive malum. Cùmque poſt decem dies intimaſſet eis Jeremias Domini voluntatem, dixerunt ei: Mendacium tu loqueris, non miſit te Dominus, ſed Baruch filius Neriæ incitat te adverſùm nos, & non audivit univerſus populus vocem Domini, &c. *Jer.* 42. & 43.

Citò credidit duobus presbyteris ſenibus multitudo, & condemnarunt Suſannam ad mortem: & paulò pòſt: reverſus eſt populus cum feſtinatione, & conſurrexerunt adverſùs duos presbyteros, & fecerunt eis, ſicut malè egerant adverſus proximum, *Dan.* 13.

Cognovit Simon, quòd Thryphon cum dolo loqueretur; petens duos filios Jonathæ, & centum talenta argenti, juſſit tamen dari, ne inimicitiam magnam ſumeret ad populum Iſrael, dicentem: Qui non miſit argentum, & pueros, propterea periit. 1. *Mac.* 13.

Cùm quadam die eſſet Dominus in civitate Nazareth, & dicerent ei Judæi, ſatis bono modò, ut faceret ibi miracula, ſicut in Capharnaum fecerat, poſt modicam increpationem, quam dixit eis, repleti ſunt ira, & ejecerunt eum extra civitatem, & voluerunt eum præcipitare de ſupercilio montis. *Luc.* 4.

Quando ſatiavit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus piſcibus, voluerunt eum rapere, & facere Regem. Citò autem poſt cœperunt increduli diſputare, & quærere: quod ſignum facis, ut credamus tibi? *Joan.* 6.

Videns turba populi Judæorum Lazarum ſuſcitatum, & multa alia facta miracula per Dominum Jeſum, venit ei obviàm cum magno honore, tamen circumſpectis omnibus, cum jam veſpera eſſet hora, exiit Bethaniam, fortè quia non vidit in Jeruſalem, qui eum ad hoſpitium invitaret. *Matt.* 21. *Marc.* 11. *Luc.* 19. *Joan* 12.

Ante quinque dies Paſchæ Dominum Jeſum recepit populus cum magno tripudio, & honore, & per hebdomadam omnis populus erat ſuſpenſus ad verba ejus, & manè veniebant ad eum in templo audire eum, feria verò ſexta, in die Paraſceves clamaverunt contra eum.

Facta

Facta voce ſpiritus vehementis ſuper diſcipulos venientis, convenit multitudo, & mente confuſa eſt. Quidam autem irridebant, dicentes: Quia muſto pleni ſunt iſti: Inſtans autem Petrus loquutus eſt eis multa, diſcipulos excuſans, & verba Joelis allegans, quibus auditis ſunt corde compuncti, petentes, quid facere deberent. Et baptizati ſunt illo die circiter tria millia hominum. *Act.* 2.

Quodam Sabbatho penè univerſa civitas convenit audire verbum Domini, quod Paulus, & Barnabas prædicabant. Judæi autem contradicebant blaſphemantes. Tandem Paulus, & Barnabas converſi ſunt ad prædicandum gentibus, & audientes gentes gaviſæ ſunt. Paulò pòſt Judæi concitaverunt religioſas mulieres, & primos civitatis, & excitaverunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus ſuis, & illi excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. *Act.* 13.

Cùm Paulus, & Barnabas eſſent Lyſtris civitate Lycaoniæ, & quidam claudus per Paulum fuiſſet curatus, & turbæ ipſos eſſe Deos clamabant, & eis ſacrificare volebant, at illi dicentes ſe eſſe mortales, ſedaverunt turbas, ne ſibi immolarent, ſupervenerunt autem quidam Judęi, & perſuaſis turbis, lapidanteſque Paulum, traxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum mortuum. *Act.* 14.

Quidam quæſtuarii habentes unam mulierem cum ſpiritu pythonico, à qua Paulus ejecit dæmonium: ita concitaverunt principes, & magiſtratus civitatis, quòd factus eſt populi concurſus adverſùs Paulum, & Sylam ſocium ejus, & ſciſſis eorum tunicis, fuerunt virgis cæſi, & in carcerem miſſit, ac pedes ligno ſtricti. Et ſequenti die fuerunt rogati recedere. *Act.* 16.

Paulo apud Epheſum exiſtente, & multa ibidem miracula faciente. Demetrius quidam argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, convocatis artificibus, concitavit tantam turbationem in civitate, quòd tota impleta eſt confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, & tamen plures neſciebant, qua ex cauſa conveniſſent. Tunc fuerunt in magno corporum periculo Paulus, & ſocii ejus, ſed ſcriba populum pulchrè alloquens diſcretè ſedavit, & ad propria remiſit. *Act.* 19.

Quadam die tanta fuit in Jeruſalem adverſùs Paulum turba, & populi concurſio, quòd percutiebant eum, & trahebant extra templum, & vix potuit eripi à tribuno cohortis, qui cum militibus ſupervenit. Poſteà verò cùm narraſſet, quę ei acciderant Damaſci, levaverunt vocem, dicentes: Tolle de terra ejus memoriam, non enim eſt fas eum vivere. Sequenti autem die exclamavit Paulus in concilio, Viri fratres ego Phariſæus ſum filius Phariſæi, & facta diſſenſione inter Phariſæos, & Sadducæos, ſoluta eſt multitudo, & ſurgentes quidam Phariſæi pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine iſto. Quid ſi ſpiritus locutus eſt ei, aut angelus? *Act.* 22. & 23.

Dum calefaceret ſe Paulus ad ignem poſt naufragium tempore hyemali, vipera à calore procedens invaſit manus ejus, quod videntes barbari, ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultrà eum vivere nō finit. Paulus autem beſtiam excutiens in ignem, nihil mali paſſus eſt. Illi verò videntes nihil mali in eo fieri, dicebant eum Deum eſſe: citò mutaverunt opinionem.

HISTORICA.

Mobilitatis, & inconſtantiæ popularis exemplum Sejanus Tiberii Cæſaris familiaris, & velut in Imperio ſocius, in conſulatu collega. Hunc populus, & nobilitas Romana venerata primùm, immò velut Imperatorem, cujus ille ingenium flectebat, quò volebat, ſuſpicata, ſtatuam erexerat. At mox conjurationis falsò accuſatus, mox omni populo clamante unco ſpectandus per ſummam infamiam ductus eſt, & trucidatus in Tyberim projectus, quando omnes, qui paulò antè eum flexo poplite venerati fuerant, certatim concurrere, ut pedibus cadaver calcarent tanquam hoſtile, & proditoris. Eleganter hanc hiſtoriam depingit *Juven. in Satyra ſua decima*, ubi & ſub calcem populi mobilitatem adducit, qui facilè illum Imperatorem ſalutaſſet, ſi Fortuna (quam Nortiam vocat, ob templum illius in Nortia) Thuſco, id eſt, Sejano ex Thuſcia oriundo, favorabilem ſe exhibuiſſet. Verſus illius elegantia, & gravitate pleno adſcribam.

Quoſdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atque inſignis bonorum
Pagina, deſcendunt ſtatuæ, reſtemque ſequuntur.
Ipſas deinde rotas bigarum impacta ſecuris
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis,
Jam ſtridunt ignes, jam follibus, atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens

Sejanus, deinde ex facie toto orbe ſecunda
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem, Sejanus ducitur unco
Spectandus, gaudent omnes, quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam ſi quid mihi credes, amavi
Hunc hominum, ſed quo cecidit ſub crimine? quiſnam
Delator? quibus judiciis? quo teſte probavit?
Nil horum, verboſa & grandis epiſtola venit.
A Capreis, bene habet, nil plus interrogo, ſed quid
Turba tremens? ſequitur fortunam, ut ſemper, & odit
Damnatos idem populus, ſi Nortia Thuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis, hac ipſa Sejanum diceret hora
Auguſtum, jam pridem, ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effudit curas.

Athenienſes Alcibiadem ob bellum in Sicilia malè geſtum in exilium egere: eundem verò revocatum, cùm Lacedæmonios terra, marique viciſſet, nòn humanis ſolùm, verum etiam divinis honoribus dignum judicarunt. At mox, cùm eodem Duce bellum in Aſia gererent, & ipſe prædandi ſtudio intentus cladem accepiſſet, rurſus illum exilio mulctarunt.

Iidem Phocionem ignominioſè damnatum, neque funere, neque ſepulchro dignati ſunt: ſed paulò pòſt ſtatuam illi poſuerunt, & inventas ejus reliquias publicis ſumptibus ſepulturæ mandarunt. Quamvis is non modo Athenienſium ſed etiam omnium ſuæ ætatis virorum clariſſimus haberetur; & qui quadragies quinquies Athenienſis exercitus Imperator creatus, vitam ſumma integritate vitæ, ac innocentia, ſine ullo probro tranſegiſſet: nihilominus calumniator quidam de fœce plebis, auſus eſt ad populum, quem intelligebat Phocioni iratum, rogationem hujuſmodi ferre: Vellent, juberent, Phocionem, ac ſocios necari. Hanc vocem populus tanto plauſu excepit, ut omnes aſſurgerent; ac manibus elatis cives fortiſſimos, ac innocentiſſimos capitis damnarent: nec defuerunt, qui ſertis, & corollis redimiti, cum ſervis, ac fœminis in comitium profecti ſunt, ut ſententiam capitalem ferrent. Qua re perſpecta; Me quidem à vobis, inquit Phocio, damnari facilè patiar, ſed cur iſti? Ad quem populus, Quoniam reſpondit; tibi ſunt amici: nec priùs furor plebis inſanientis conquievit, quàm omnes, ſine judicio, ſine accuſatione, ſine ulla cauſa necarentur. Nec verò ſperandum eſt, ut plebem, cùm bonis inſultare cœperit, pudor ullus à turpitudine, aut ratio à furore revocare poſſit.

Quid verò de Romanorum pleriſque dicemus, qui modò triumphantes urbem ingreſſi, modò ex eadem profugere, & latebras quærere coacti ſunt? Et Imperatores eorundem nunc adorato, nunc à militibus diſcerptos, & tandem rurſus in Deorum numerum relatos fuiſſe legimus.

Scipio Major, qui Rempublicam bellis Punicis tantùm non extinctam, & exanguem ſervarat, & Carthaginis dominam fecerat, populi Romani injuriis fatigatus, & tandem victus, urbe exceſſit, & exul voluntarius in obſcura villa Linternis mortuus, ſepulchro inſcribi juſſit: Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes.

Ejuſdem fratrem, quem Aſiaticum dixerunt, idem populus peculatus reum egit, & in carcerem duci juſſit.

At Naſica Scipio, poſt multa in Rempublicam merita, ut populi iniqua de ſuis virtutibus judicia declinaret, ſub legationis titulo Pergamum diſceſſit; & illic, quod reliquum fuit vitæ, tranſegit.

Apud Athenienſes autem populi furentis, & ingrati tumultibus Themiſtocles in exilium actus, ad Xerxem, quem communis patriæ hoſtem debellaverat, confugit.

Milciades, qui Perſis in Marathone ingenti prælio victis, Græciam omnem metu, atque timore liberavit, à populo in carcerem conjectus, illic expiravit, corpus autem tamdiù ſepultura caruit, donec filius Cimon ſe iiſdem vinculis conſtringendum tradidit.

Guilielmus in regno Siciliæ patri Rogerio ſucceſſerat. Sed patriæ ſolùm poteſtatis, non etiam virtutis hæres exiſtebat. Inde quos familiares pater habuerat, eos partim condemnabat exilio, partim carcerum concludebat anguſtiis. Majonem quoque Barenſem humili ortum genere, qui cùm primùm in curia notarius extitiſſet, gradatim ad Cancellariatus pervenerat dignitatem, magnum Admiratum inſtituit. Hinc cum potentia ſua abuteretur ſatis petulanter, immò & in Regem nonnihil moliretur,

à Matthæo

à Matthæo Bonello, aſſerendæ libertatis ergo, eſt trucida-
A tus Bonellus, quia injuſſo Rege cædem perpetrarat; metuens & Regis, & Siculorum vindictam, nec Reginam graviſſimè dolere mortem Majonis ignorans, fuga elabitur in oppidum quoddam Cacabum dictum. Populus verò auditis Majonis ſceleribus, jure ipſum percuſſum jactat, Bonellumque magnis idcircò afficiendum honoribus clamitat. Atque ideò Panormum revocatur, & ſecurus, ac abſque omni metu eſſe jubetur. In ingreſſu verò civitatis plurima tam virorum, quàm mulierum turba obviàm exierunt, cum ingenti eum gaudio uſque ad portam palatii proſequentes. Ibi benignè ſuſceptus eſt à Rege, & in magnis tam ab ipſo, quàm à reliquis aulæ proceribus, eſt habitus honoribus. In Sicilia verò Panormique maximè totus jam apertè populus conclamabat: quiſquis Matthiæ Bonello nocere tentaſſet, hoſtem eum publicum judicari: ſeſeque etiam adversùs Regem, ſiquidem ob Admirati mortem in eum ſeverius animadvertere præſumpſiſſet, arma ſumpturos. Nam ei debere omnes obſequi, qui publico regni ſublato periculo, libertatem omnibus reddidiſſet. Sed benevolentia hæc Siculorum in ipſum Bonellum non fuit perpetua. Nam tandem ob affectati regni ſuſpicionem in vincula conjicitur. Siculi quoque quanta
B priùs diligentia Matthiæ Bonelli gratiam appetebant; tanto laborabant ſtudio, ne viderentur illius amicitias coluiſſe. Bonellus demum effoſſis oculis, nerviſque ſuper talum inciſis, ſublatus omninò ſolis aſpectui, in horrendum detruſus eſt carcerem, tam ſuis, quàm loci perpetuò tenebris obvolutus. *Prolixius hæc recitantur in Hiſtoria Hugonis Falcandi Siculi de rebus geſtis in Siciliæ regno, quæ ſcripta eſt circa annum Domini* 1260.

POPULI FUROR, ET SÆVITIA.

Rectè Arrianus laudat ſapientiam Alexandri Magni: Quòd Epheſio populo materiam ſæviendi erga optimates ſubtraxerit. Nam cùm de noxiis quibuſdam ſupplicium ſumptum eſſet; in alios ulterius inquiri, aut de iis ſupplicium ſumi Alexander vetuit, intelligens nimirum populum poteſtate ſibi facta non tantùm in ſontes, ſed in eos etiam, qui extra culpam eſſent, partim odio, partim ſpe præde ſæviturum. Norat enim prudentiſſimus Rex, cupiditatem, & egeſtatem hominum crudelitati
C adjunctam magnum eſſe ad omne ſcelus incitamentum.

Hunc furorem irritatæ multitudinis, & licentiam ſæviendi, experti ſunt olim Corcyrenſes, ubi Thucid. perſpicuè narrat, quàm crudelia, & neſanda facinora in ſeditione illa contra potentiſſimos quoſque à populo commiſſa ſint. Poſtquam enim interfectis præcipuis, multos ſibiipſis, metu crudelitatis mortem variis modis conſciviſſe ſcribit: Quidam, inquit, ob privatas inimicitias, quidam & à debitoribus creditarum pecuniarum cauſa interfecti. Nullum denique mortis genus non viſebatur, nec fieri quidquam in hujuſmodi caſu ſolet, quod tum non evenerit. Immò verò majora etiam contigerunt. Nam pater filium trucidabat: homines à templis ad necem abſtrahebantur, atque adeò intra ipſa necabantur: alii ſe in Bacchi delubro cùm muniiſſent, obiere, &c.

Sed ne exempla tam longè petamus, quid obſecrò non perpeſſi ſunt homines miſeri nuper in carnificinis Gallicis, præſertim Lutetiana? Quid enim vulgus, veluti ludos
D ageret, in quibus humanus ſanguis effunderetur, ſævitiæ, crudelitatis, libidinis, turpitudinis, ignominiæ, tam in eos, qui neci deſtinati erant, quàm in alios, qui pro innoxiis habebantur, & quidem non ſolùm erga vivos, ſed erga mortuos etiam non habita ratione ætatis, dignitatis, conditionis, aut ſexus omiſit? Adeò longè, ut ait *Lactantius lib.6. cap.2. de verò cultu*, ab hominibus ſeceſſit humanitas, ut cùm animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores iis omnibus, quorum ſanguinem voluptati habent.

Hæc *teſte Livio libro* 24. natura multitudinis eſt, Aut ſervit humiliter, aut ſuperbè dominatur, libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt, & non fermè deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui avidos, atque intemperantes plebejorum animos ad ſanguinem, & cædes irritant.

Hoc *Seneca* prætereà paucis verbis complexus eſt: Quis inquit, placere poteſt populo, cui placet virtus.

Huc etiam *Demoſthenes* reſpexiſſe videtur, cùm fugiens exclamaret: O Pallas urbium domina cur tribus infauſtiſſimiis beſtiis delectaris? noctua, dracone, &
E populo: ex illa fortè cæcitatem; ex dracone livorem animorum; ex populo inſtabilitatem, & inconſtantiam intelligens.

Hujus rei habemus memorabile exemplum in ſeditione Panormitana, cujus caput fuit Joannes Squarcialupus, ſicut etiam eleganter, & copiosè deſcribit *Thomas Fazellus de reb. Siculis poſter. decad. lib.* 10. ubi inter alia urbis Panormitanæ fœdam, ac planè deplorandam faciem commemorat. Nam jus, legeſque, inquit, jam planè refrixerant: avaritia, rapinæ, ſuperbia urbem invaſerant. Quicumque prætereà impudicus, adulter, ganeo, latro, ſacrilegus, vel qui alea, manu, ventre penè patrimonium diſſipaverat, quique alienum æs conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret, prætereà omnes undique parricidæ, ſacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hæc, & quos manus, linguave perjurio, aut civili ſanguine alebat; poſtremò omnes, quos flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat: hi Squarcialupo, & conjuratoribus proximi, ac familiares erant, & de civitatis magiſtratu, rerumque omnium mutatione cum eo tractabant, & (quod nulli niſi nobis, qui hæc vidimus, credibile
F eſt) nihil ſibi reliqui non ad prædam, non ad crudelitatem fecere: ſacra profanaque, divina atque humana omnia in promiſcuo, nihil penſi, neque moderati habebant: publicè, impunèque rapere, delubra ſpoliare, ſacra profanare, ac polluere licebat, &c.

Narrat Socrates, quomodo Alexandriæ fortè fortuna tumultus ingens ex parvo principio ſit exortus. Locus erat in ea civitate jam ab antiquis temporibus deſertus, & neglectus, multaque ſordium colluvione redundans: in quo ritibus, & ceremoniis in honorem Mithræ celebratis, homines pro victimis ſacrificare gentilibus mos erat. Iſtum, utpotè jam anteà nulli uſui inſervientem, eccleſiæ Alexandrinæ addixit Conſtantius. Georgius autem habens in animo Eccleſiam ibi exædificare, locum purgari jubet. Quo purgato adytum repertum eſt ingentis altitudinis, in quo gentilium myſteria recondebantur. Ubi etiam erant multæ hominum calvæ, cùm adoleſcentum, tum ſenum: quos fama eſt olim, cùm Gentiles divinationibus, quæ per exta, inteſtinaque fiebant, utebantur, magicaſque obirent victimas, quo hominibus aciem animorum perſtringerent,
G mactatos fuiſſe. Quibus rebus in adytis Mithræ repertis, à Chriſtianis laboratum eſt, ut Gentilium myſteria palàm haberentur ludibrio. Nudas igitur mortuorum calvas quam mox in apertum proferunt, quo populo exhiberent ad intuendum. Quæ cùm Gentiles, qui Alexandriæ erant, conſpicarentur, facinoriſque admiſſi contumeliam iniquo animo ferrent, gravi iracundiæ æſtu exardeſcere, & armis, quæ fortuita illis obveniebant, arreptis in manus, impetum in Chriſtianos facere cœperunt, & complures ex illis nullo non mortis genere afficere. Nam hos gladiis, illos fuſtibus, alios lapidibus uſque ad necem cædere: alios funibus ſtrangulare, quoſdam cruci ſuffigere, hocque necis genus ad probrum crucis illis inferre: plurimos ſauciare. Tandem, ſicut in ejuſmodi tumultu evenire ſolet, ne ab amiciſſimis manus abſtinere, ſed amicus amicum verberare, frater fratrem, parentes liberos: denique alter alteri ad cædem vim afferre. Proindè Chriſtiani à Mithrejo adyto perpurgando deſiſtere: Gentiles autem Georgium ab Eccleſia raptatum, ad camelum
H alligare, diſcerpere, & ipſum unà cum beſtia comburere. Imperator Georgii necem acerbè, & graviter ferens, populum Alexandrinum per Epiſtolam acriter coarguit. Fama autem pervagatur, iſta in Georgium ab illis admiſſa eſſe, qui Athanaſii cauſa grave odium contra illum conceperant. Verùm mea quidem ſententia, etiam qui ſimultatem inter ipſos gerant, in ſeditionibus ad nequam, & perditorum hominum vires oppugnandas ipſi inter ſe oppugnare volunt. Atque Imperatoris Epiſtola non Chriſtianos ſeparatim, ſed populum univerſum incuſat; Georgius verò, ut videtur, ſemper omnibus multum acerbitatis exhibuerat, & moleſtiæ, & propterea populus ad ſeditionem incenſus eſt. Quod autem Imperator populum univerſum inſimularet licebit ex illius Epiſtola, quam integram tradit *Socrates lib.* 3. *capit.* 3. cognoſcere.

De Euſebio, Neſtabo, & Zenone fratribus Chriſtianis commemorat *Sozomenus lib.5. hiſt. Eccleſ. c.*8. quomodo eos populus Gazæ odio proſecutus, domi occultatos comprehen-
A derit, ac primùm in carcerem conjecerit, flagriſque cæciderit. Deinde omnes ad theatrum convenire, & contra eos graviter propterea vociferari cœperunt, quòd ſacra ipſorum profanaſſent, eiſdemque ad religionem Gentilium delendam, afficiendamque contumelia ſuperioribus temporibus abuſi fuiſſent. Qui partim clamando, partim ſe invicem incitando ira accenſi, in eorum necem avidè feruntur. Atque ipſi ſe mutuò inſtigantes, quod à populo in ſeditione fieri ſolet, ad carcerem concurſare, eoſque inde deductos, modò pronos, modò ſupinos trahere, interdum ad terram allidere, jam cædere, alii ſaxis, lignis alii, alii aliis rebus fortuitò oblatis, ſicque crudeliſſimè interfecerunt. Accepi etiam, mulieres, è textrinis egreſſas, radiis illos confodiſſe, Quin etiam coqui in foro, pars lebetes aqua ferventi ebullientes à focis arripere, inque illos effundere, pars verubus transfigere. Ut verò eos diſcerpſerant, & capita ita confregerant, ut cerebrum in terram effluerer: extra urbem deducunt ad locum, in quo animalia expertia rationis mortua proiici ſolent, atque accenſo rogo, eorum corpora comburunt: reliqua autem oſſa, quæ ignis neutiquam abſumpſerat, oſſibus camelorum, & aſinorum, quæ
B ibi projecta erant, admiſcent, adeò ut perdifficilè eſſet ea inter tot oſſa reperire.

Accenſeri prioribus hiſtoriis digna eſt, quam *Hieronymus Oſorius* memoriæ tradidit. Per idem tempus (qui fuit annus 1506.) Olyſippone, inquit, tumultus multitudinis furore, & amentia concitatus fuit, quo parum abfuit, quin omnes Hebræi, qui ad Chriſti fidem converſi fuerant, fœdè perirent. Res autem ad hunc modum geſta fuit. Maxima pars civium propter peſtilentiam aberat. Illis fortè diebus multæ è Gallia, Belgio, & Germania, Olyſipponem naves cum mercibus appulerant. 19. verò die Aprilis, non pauci ex iis, qui in urbe manſerant, in ædem nomini D. Dominici conſecratam, ut rebus divinis operam darent, convenere. Ad ſiniſtrum latus Templi eſt ſacellum ſanctum, & mirà omnium religione celebratum, quod Jeſu ſacellum appellant. In eo ſuprà aram eſt imago Chriſti crucifixi collocata, in cujus latere vulnus illud aſſimulatum operculum vitreum contegebat. Cùm multi in vulnere illo mentem, & oculos defigerent, ex eo ſplendor emicuit. Conclamant igitur omnes ingens eſſe miraculum, cæleſteque numen præſentiam ſuam ſignis admirandis often-
C dens. Quidam ex Hebræis illis, qui non ita pridem Chriſto nomen dederant, maxima voce miraculum eſſe negavit. Nec enim eſſe veriſimile, ut aridum lignum miracula ederet. Turba igitur, quæ circumſteterat ſpecie quadam religionis attonita, cùm audiret Hebræum miraculo fidem derogare; cœpit fremere, perfidum Judæum, & ſceleratum Chriſti proditorem appellare, atque extremo ſupplicio dignum. Ad hunc tumultum plebs concurrit, trahitur, tunditur, & in partes dilaceratur Judæus. Galli, & Germani, qui in navibus erant ſe Luſitanis agglomerant, & immani cæde feruntur in reliquos Judæos recens converſos, multoſque in ignem ſemivivos abiiciunt, quo etiam cadaver primi illius, quem trucidaverant, paulò antè injectum fuerat. Et eo quidem die ſuprà quingentos Hebræorum necatos, atque combuſtos perhibet. Die inſequenti vulgato cædis rumore, ex pagis, aliiſque locis vicinis, ſuprà mille ſeſe reliquis ſicariis aggregaverunt, qui cædem reſtaurantes, nulli aut ſexui, aut ætati pepercerunt, quodvis crudelitatis genus in innoxios exercentes, & occiſorum domos, & bona impune diripientes.
D Etiam tertia die ad idem ſcelus redierunt, ſic ut funeſto illo triduo circiter duo Hebræorum millia partim gladio, partim igne fuerint abſumpta. Neque impoſitus fuiſſet finis plebejo furori, niſi Emmanuel Rex audito tam atrocis cædis rumore Jacobum Almerdam, & Jacobum Lupium, viros primarios cum auctoritate Olyſipponem miſiſſet, qui cauſa examinata, hujus ſceleris auctores extremo ſupplicio affecerunt, ac inter eos Monachum, qui populum oratione, & miraculoſæ crucis ſublatione magis ad furiendum excitaverat. Alii verò è Magiſtratu, qui in hac re ſegnes fuerant, partim exauctorati, partim pecunia mulctati fuerunt.

DURITIA, ET MINIS IRRITATUR.

Cn. Martius, qui deinde ob quæſitam victoriam Coriolanus dictus eſt, nullo manſuetudinis ſtudio, nulla facilitate in hominum conſuetudine verſabatur, & multis erat adversùs, nemini in concione, aut communi alloquio cedebat: durus erat ſemper, ac pertinax, & multitudinem omnem odio habere videbatur. Sic quanquam fortitudine, & juſtitia pollebat, tamen repulſam tulit, prælatis ei competitoribus genere, ac virtute longè inferioribus. Eam tamen mitius ferre debuit, nec tam crudeliter in patriam ſævire.
E
Nulla enim cauſa eſſe poteſt, qua quiſpiam jure optimo poſſit patriæ ſuccenſere. Odium civium ſua culpa contraxerat, cùm multitudinem nullo obſequio mulceret; nullis blanditiis deliniret: ſed eam faſtu, ac pertinacia aſpernaretur. Cogitare enim debebat, non tam eos à multitudine præferri, qui genere, ac virtute excellunt, quàm negligi eos, qui nec populum rogandum, nec multitudinem mulcendam, colendamque eſſe cenſent.

Phocion etiam Athenienſis nihil in omni vita popularis gratiæ cauſa dixit unquam, aut fecit: & ſæpenumero plebi acerrimè, ac contumeliosè adverſatus eſt. Proinde minimè admirandum eſt, ſi eam aliquando infeſtam habuit. Nullis etiam felicitatis ſtudiis ad Rempublicam acceſſit. *F. Patrit. lib.* 4. *de regno tit.* 14.

POPULORUM VARIORUM ORIGO.

☞ *Vide* Gens.

COITIONES POPULI EXITIOSÆ.

Operariorum, atque opificum in urbe conventicula, vel conciliabula, publica, aut privata admittere, paci publicæ perniciosum eſſe ſolet: eo quòd ſæpiùs compertum ſit, factiones,
F ſeditioneſque periculoſas pullulare ex ſimilibus plebejorum congreſſibus, dum ebrii inter ſe de Republica diſputant, eaſdemque multis urbibus libertatem ademiſſe, calamitates ingentes attuliſſe, teſtatur *Abrah. Ortelius in Theatro orbis, in deſcriptione agri Noribergenſ.*

In legibus Longobardorum prohibentur ſocietates, aut ſodalitates conjuratæ, aut conjurati fratres ſocietate, vocata Guildonia, à *uvilleen* voluntate, & *thun*, id eſt, facere, ut nunc *uvilltuth* dicimus, inquit Amerpachius.

Franciſcus I. Rex Gallorum abrogavit confratrias artificum, propter monopolia, quæ in illis faciebant, An. Dom. 1539.

Et Fridericus conventicula hæc, etiam ratione, ſeù prætextu parentelæ, vel alterius cujuſque rei gratia, prohibuit.

Noribergæ nulla operariorum, aut artificum (qui poſtremus, & plebejus eſt ordo) admittuntur conventicula, non epulæ ſolennes, nec convivia feſtiva multorum, niſi religionis, aut exequiarum cauſa. *Ortelius uti ſuprà.*

Certè in civitatibus celebrioribus, mechanicis hominibus, quando ſuos habent conventus, aliquis ex Sena-
G toribus adjungitur, ne habeant anſam aliquid contra Remp. moliendi.

Quin Antuerpiæ præter Senatorem, qui conventui præeſt in temporalibus, habent aliquem ex Clero, qui plerumque interveniat, ut ſi quid diſſidii, ſeditionis, tumultus auctoritate ſua, & monitis compeſcat, & ne quid adversùs religionem moliantur, advigilet. Quod maximè locum habet in Sodalitatibus, quas Rhetoricorum vocant, ut in quibus honeſtæ relaxationis gratia exhibentur ſpectacula, & actiones ludicræ, rythmis patrii idiomatis conceptæ, ad quas etiam populus promiſcuè admittitur, & quibus nonnunquam quædam liberius inſeruntur.

Legimus apud Herodotum, cùm Acarnenſes putarent, apud ſe non minimam portionem Athenienſium eſſe, & ipſorum terra vaſtaretur: ad exeundum præcipuè Athenienſes urgebant, atque ex omni parte civitas tumultuabatur: & Pericli iraſcebantur, prorſus immemores eorum, quæ prius ille ſuaſiſſet. Conviciabantur etiam, quòd cùm eſſet Dux, non tamen eos educeret, exiſtimantes eum omnium, quæ pa-
H terentur, auctorem. Quos Pericles videns ex præſenti conditione affligtari, utpotè non rectè ſentientes de exeundo, ut ipſe faceret concionem, non advocavit, nullumque habuit cœtum, ne quid ira magis, quàm judicio peccarent congregati. Et ita civitatem cuſtodivit; & quam maximè potuit, quietam tenuit. Equites tamen emiſit, ne hi, qui ab exercitu excurrerent, urbi vicinos agros adorti, prædas agerent. *Pet. Greg. Toloſan. lib. de Republ. cap.*4.

Apophtegmata.

De populo furente, & inſolente.

Veluti crebra in mari tempeſtatum, ita in Populo ſententiarum commutatio, cui proinde vir prudens vix unquam ſatisfecerit. Cùm fidei ſuæ rationem Herodi Proconſuli reddere juberetur Polycarpus, diemque diceret, quo cum eo ageret: Proconſul, ut coram populo ſe excuſaret, mandavit. Cui Polycarpus: Nunquam id fecero. Principibus honor debetur, modò Deo non ſit contrarius: populo autem furenti nemo poteſt ſatisfacere. *Ex Euſeb. lib.* 4. *Eccl. Hiſt. c.* 15. *Beyerlinck in Apophtegm. Chriſtianorum.*

JOANNES XIII. PONT.

A ☞ *Vide Locum de* VULGO.

Ab ore Petri Aldobrandini Card. profectum aliquando: Principi cum populo plus negotii, quàm olim Herculi cum tauro. Videbat enim populum, utpotè belluam multorum capitum, uno rationis fræno arceri vix poſſe. *Henric. Farneſ. Apophth. de Principe.*

Clari generis, magnæque dignitatis Philippus II. Hiſp. Rex alebat, ut Reges ſolent, falconem, qui cæteris illius generis ferocior, in aquilam (quam in palatii veſtibulo in pompam Rex videndam exhibebat) fortè involat, eique adunco roſtro fauces præſcindit: Indignatus Rex, aquilicidam talionis pœna mulctari imperat. Factum redarguentibus; Indecorum eſt, ait, & impium, populum in Principem exurgere. Aquila enim avium princeps. Significabat autem allegoricè, licentiæ fræna nunquam populo relaxanda. *Ex Chron. Hiſp. Laur. Beyerlinck in Apophth. Chriſtian.*

HIEROGLYPHIGA, ET EMBLEMATA.

Populum Ægyptii Sacerdotes obſequentiſſimum Regi ſuo
B ſignificare ſi vellent, *Apem* effingebant, illam utique brevem, variam, & in rotunditatem compactilem, quæ ſola ex animalibus Regem, more hominum habet, quæ univerſum Apum agmen conſectatur, æquè atque homines Regi obtemperantes. Rex verò vel aculeo caret, &c. Ac de populo quidem agnoſcit Plotinus libro de ſuo cujuſque genio, qui civilem hominem, popularibus utique ſtudiis deditum, ſed qui perfectam vitam minimè conſequi potuerit, ab obitu in apem mutari fabulatur. *Pier. lib.26. cap.1.*

Populum lege coercitum hieroglyphico aliquo figurare qui vellent. *Apem, & apiaſtrum* herbam proponebant; qua ſi perungantur alvearia, non fugere apes tradunt. *Idem l.54. c.56.*

Mali punici præcipuum ſymbolum erat, ut populos, genteſque varias uno collegio congregatas ſignificaret. Id ea de cauſa factum, quod grana mali hujus folliculis quibuſdam, aliquo numero ab aliis ſegregata, provinciarum veluti limites quoſdam præ ſe ferre videantur, & ſingula hominum vel collegia, vel nationes potius ab aliis diſtinguere. *Idem l.54. c.25.*

AN. ALCIAT. Emblem. 38.

C *Cornicum mira inter ſe concordia vitæ eſt,*
Mutua, ſtatque illis intemerata fides.
Hinc volucres hæc ſceptra gerunt, quòd ſcilicet omnes
Conſenſu populi ſtantque, caduntque duces.
Quem ſi de medio tollas: diſcordia præceps
Advocat, & ſecum regia facta trahit.

Idem in Emblemae 35. repetit, quod à Plutarcho pridem ſcriptum eſt. Qui equos domant, iis primùm adblandiuntur, ac molliſſimè tractant, ut aſſueſcant fræno: ſic popularis multitudo lenitate retinenda eſt, & excipienda ei, qui diù in pace regere cupiat.

Porcus. Porci.
SUES.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

PORCUS χοῖρος, ſus domeſticus propriè dicitur, quomodo aper, ferus. Et utrique generi ſuis appellatio reſpondet. ſic. *Martial. lib.4.*

D *Iſte tibi faciat bona Saturnalia, porcus,*
Inter ſpumantes ilice paſtus apros.

Dictum volunt Porcum, quòd tellurem porrigat, & proterat, dum herbas, & radices edendo rimatur.

USUS.

IN FOEDERIBUS.

☞ *Vide Locum de Fidelitate. Tit. Fidem dare. Quomodo, §. Apro.*

SACRIFICIIS.

Solebant Gentiles olim inter aliàs victimas etiam offerre diis ſuis carnem ſuillam, quæ apud Judæos immunda habebatur, ut conſtat ex illo *Juvenalis Satyra* 10. ſub finem.

Ut tamen & poſcas aliquid, voveaſque ſacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci: &c.

ubi meminit pingujum viſcerum ſuillinorum, quæ tanquam delicatiſſima offerebant, ut à diis melius exaudirentur. Romani certe immolabant porcam menſe Aprili, deæ frugum Cereri, cum lampadibus, & tædis accenſis, in veſtibus albis. Qua de re Ovidius.

—— *Prima putatur.*
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni, E

Et alibi:

Prima Ceres gravidæ gaviſa eſt ſanguine Porcæ,
Ulta ſuas merita cæde nocentis opes.

ubi cauſa indicatur, cur immolaretur, nempè quod terram ſoleat ſuffodere, & ea ratione meſſes, & fruges ſubvertere.

ESUS VETITUS JUDÆIS.

Porcum immundis animalibus annumerat Deus *in Levit. c.11. v.7.* Et ſus inquit Textus: qui cùm ungulam dividat, non ruminat, & ob id immundus habetur juxta ea, quæ verſ.3. & 4. ſcribuntur de animalibus mundis, & immundis. Per ſuem autem Porcum accipimus tam marem, quàm fœminam, quia Hebræum חזיר Chaſir, utrumque ſexum complectitur. Omnis enim porcina caro vetita eſt Judæis, atque etiamnum ea abſtinent. Ridiculè nonnulli, apud S. Polycarpum *epiſt. ad Philippenſes* ſuis eſum hic vetari putarunt, eo quòd ſus, cùm comedit, ita vorat, ut non agnoſcat dominum ſuum, quodque cùm eſurit grunnitum edat ad dominum: hæc enim eſt natura, & naturalis muſica ſuis.

Veriorem cauſam dat *Cicero lib.2. de Natura Deorum*: Sus, F inquit, quid habet præter eſcam? cui quidem ne putreſceret, animam pro ſale datam eſſe, dicit Chryſippus.

Hinc ſanctus ille *Abbas in vitis Patrum lib.6. c.1. num.8.* Sicut, ait, oculi porci ſemper intendunt in terram; ita anima delapſa in voluptatum, & luxuriæ cœnum, vix poteſt reſpicere ad cælum, aut ſapere aliquid dignum Deo.

Porrò errat *Plut. lib.5. ſympoſ. quæſt.5.* ubi docet, Judæos abſtinere ſuilla ex reverentia: eos enim ſuem revereri, eo quòd ſus fuerit ſationis, & arationis magiſtra, præſertim in Ægypto. Sus enim roſtro terram effodiens veſtigium arationis impreſſit, & vomeris opus ſubminſtravit. Probabilior verò cauſa eſt, quam ſubdit: Suillam abominantur Judæi, quod abhorrent à vitiligine, & lepra, quas putant eſu harum carnium adſciſci.

PORCORUM SUBULCI, PORCARII.

Suem Ægyptii ſpurcam belluam arbitrantur: adeò ut non ſolùm ſi quis, vel tranſeundo contigerit, abeat lotum ſeſe cum ipſis veſtimentis ad flumen, verùm etiam, ut ſoli omnium Su- G bulci in Ægypto, etſi indigenæ, tamen nullum ingrediantur Templum: nemoque, aut filiam eorum cuiquam nuptum dare, aut cujuſquam eorum filiam in matrimonium ducere velit. Ipſi verò inter ſe ſubulci dant, accipiuntque uxores. Aliis diis immolare ſues jus Ægyptiis non eſt, præterquam Lunæ tantùm, & Libero, idque per tempus plenilunii, quo ſues immolant, ac ſuilla carne veſcuntur. *Herod. lib.2.*

Sybotes ſuarius, Ulyſſem profugum, & jam ſuis ignotum, in patriam reduxit, *teſte Homero.*

Arybantis Sidonii, viri opulenti filia, à latronibus Taphiis ex agro veniens rapta, Cteſio Ormeni filio, Syriæ, & Ortygiæ inſularum regi, vendita, nutricem apud illum egit. Intereà dum pannos lavat, à nauta Phœnice compreſſa, cum illo aufugit, ſecumque Eumæum puerum nutricium avexit. Cæterùm ſexto die fatis conceſſit, & piſcibus eſca fuit. Phœnices tempeſtate jactati Eumæum Laerti Ithacenſi vendiderunt, cujus ſubulcus fuit. *Homer. Iliad.*

Actius Navius, augur clariſſimus, ob paupertatem ſues H puer pavit. *Cicero lib.1. de Divinat.*

S. Germanus cùm in Britannia publicè prædicaret, væſaniente frigore, cum diſcipulis in regiam confugit, gratum ibi hoſpitium imploraturus. Quod cùm per interpretem à rege impio denegatum, impetrare nequiviſſet, ſub dioque in algentiſſima regione pernoctare cogeretur: ecce Subulcus regius advenit, venerabilem virum cum ſacra manu conſpicatus: eorumque miſeratus algorem, ad tugurium invitat. Quò cùm pater ille divertiſſet, ſubulcus uxorem monuit, ac juſſit, ut unicum quem haberet vitulum ſaginatum, viro ſanctiſſimo apponeret. Quod ubi factum eſt, pro explorata ruſtici fide, Germanus poſt cœnam mulierem juſſit vituli oſſa legere: lectaque, ac pelle involuta, ante bovem in præſepio recondere. Mulier poſtquam imperata fecit, poſtero die redintegratum vitulum, fœnum cum matre comperit edentem. Quod quidem ingens miraculum, tanto virò tribuit auctoritatis, ut pro Deo adhuc vivens haberetur. Germanus autem ad regem reverſus, cum regno decedere, meliorique id dimittere juſſit: hæſitantem, & cunctantem virum, neque in ſacroſanctum patrem moliri quicquam audentem, manu depulit: Decede, inquit,

nec

nec poteſtate regia poſthac ampliùs abutare. Rex cæleſtem in
A Præſule auctoritatem reformidans, cum uxore, liberiſque, ſpectante populo, deceſſit. At ei Germanus accitum mox ſubulcum conjuge ſuffecit: & ex ea deinde tempeſtate è ſubulca gente ſunt ibi creati Reges. *Bonfin. lib.4. Dec.1.*

JUSTINIANUS paſtor porcorum in Bedirina Illyriæ civitate, maritus ſorori Juſtini Imp. pater Juſtiniani Magni. *Cuſp. A.D.*

JOANNICIUS Bithynus ſubulcus, inde monachus. ☞ *Vide Tit. Monachorum ſæculi noni.*

DUNEVOLFUS Vintonienſis Epiſc. ex ſubulco factus, ſub rege Anglor. Alfredo, doctiſs. evaſit. *Ranulf. l.5. c.32. & l.6. c.3.*

JOANNA Gallica puella, dum ſues paſcit, tempeſtate coacta in proximum ſacellum confugit: ibi obdormiens, liberandæ Galliæ mandatum divinitus accepit. *Bonf. l.8. Dec.3. & Æmil.*

MARCHIO Saluciarum, ut nobilium, & potentum faſtidia fugeret, Porcariam puellam, quam in ſylvis venationi dans operam repererat, matrimonio ſibi conjunxit: quæ vita, atque moribus omnes illuſtres feminas ſuperavit. *Æneas Sylv. l.1. Epiſt. 45.*

Potentia, & Poteſtas.

B * DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

POtentia, ut & Poteſtas à verbo poſſum deducitur. Græcè δύναμις, ἐξουσία, Differunt ſecundùm Priſcianum Potentia, & Poteſtas, quòd Poteſtas magis pro vi accipitur, potentia pro dominatione. Poteſtas multa ſignificat, ut *Paul. Juriſconſ.* inquit, *l. Poteſtatis, de verb. ſign.* Nam in perſona magiſtratuum imperium, in perſona liberorum patriam authoritatem, in perſona ſervorum dominium denotat; præſenti item corporis copiam, & facultatem, quando agimus de noxæ deditione cum eo, qui ſervum non defendit. Poteſtates etiam ipſi dicuntur, qui rerum potiuntur, atque populis præſunt. Hos Græci δυνατὰς vocant. Et hodiè Prætores urbani apud Italos Poteſtas appellantur. Varius admodum eſt uſus hujus vocis apud Latinos.

Hebræis *Jachol*, verbum ſignificat potuit, potens fuit, prævaluit robore. Cognationem habet cum *Achal*, comedit: nam qui alteri prævaleſcit, comedit, ſive opprimit eum facilè. Hinc per converſionem radicis ἀλξ, ἀλκὸς, &c. potentia: ἀλκὴ, robur, ἀλκω, poſſum, ἄλκιμος, fortis. Potentia, *Jechojeth.* Dicitur etiam *Choach*, robur, vis, facultas, potentia. Cognationem habet cum *Jachach*, validis, & firmis arguit argumentis.

C Hinc, κῖκυς, potentia, firmus, potens, κικύω, poſſum, prævaleo. Verbum item *Schalat*, ſignificat, poteſtatem exercuit, dominatus eſt: & cognationem habet cum verbo *Lataſch*, acuit, polivit arma, ut armata manu ſub poteſtatem ſuam homines redigeret. Hinc *Sultan.* Turcarum, & Arabum. *Schelatim*, Scuta, clypei, peltæ: *Scallith*, potens, qui dominatur, & poteſtate gaudet in alios, Dominus; & *Scalletheth*, Domina, item *Schilton*, poteſtas. *Eccl.9. v.4. & 8.*

Alioquin metonymicὼs Poteſtas accipitur aliquando pro regione imperio ſubjecta. Ut *Lucæ* 4. ubi diabolus Chriſto dicit, oſtenſis omnibus mundi regnis, tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum.

* POTENTIA MUNDI IMPOTENS, ET INVIDA.

Lucanus.

O malè concordes, nimiaque cupidine cæci!
Quid miſcere juvat vires orbemque tenere
In medio? dum terra fretum, terramque levabit
D *Aer, & longi volvent Titana labores,*
Noxque diem cæli totidem per ſigna ſequetur?
Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit, nec gentibus ullis
Credite, nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi madverunt ſanguine muri.

Senec. Agam.

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis! in præcipiti,
Dubioque nimis excelſa loco.
Nunquam placidam ſceptra quietem,
Certumve ſui tenuere diem,
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatque animos nova tempeſtas.
Non ſic Libycis ſortibus æquor
Furit alternos volvere fluctus.

Idem Herc. Oet. act. 2.

Tu quicumque es, qui ſceptra tenes,
Licèt omne tua vulgus in aula

Centum pariter limina pulſet;
Cùm tot populis ſtipatus eas; E
Cùm tot populis vix una fides.
Tenet auratum lymen Erynnys,
Et cùm magnæ patuere fores,
Intrant fraudes, cautique dolo.

Similiter Claud. 2. Ruff.

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus:
Inſtabileſque Deos, aut lubrica Numina diſcat,
Illa manus, quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,
Cujus ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas inhumata diù, miſeroque repulſa
Corpore, feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Adſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat triviis calcandis ſpargitur: ecce
Qui ſibi Pyramidas, qui non cedentia Templis
Ornatura ſuos extruxit culmina Manes.
Et qui Sidonio velari credidit oſtro,
Nudus paſcit aves, jacet hìc, qui poſſidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, nuſquam: totieſque ſepultus.
Senſerunt convexa necem, telluſque nefandum F
Emolitur onus.

Inſuper Boet. 3. 5.

Qui ſe volet eſſe potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis ſubmittat habenis.
Etenim licèt Indica longè
Tellus tua jura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule:
Tamen atras pellere curas,
Miſeraſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

* VITIA POTENTUM.

Radulphus in Leviticum notavit, Potentum mores, & vitia, quibus frequenter, & utinam non nimis frequenter! implicabatur, comparatione facta cum ingenio, & natura avium immundarum, quæ cùm viginti numero diſtinguantur, etiam xx. Potentum vitia, & defectus recenſet. G

Primo Aquila notat Potentum ſuperbiam, unde *Ezechiel. cap.7.* Nabuchodonoſor comparatur aquilæ grandi magnarum alarum.

2. Gryphes ſignificant Potentum crudelitatem.
3. Haliæetus, qui non eſt tantis viribus, ſed tamen prædo, ſignificat violentos in pauperes.
4. Milvus ſignificat potentum inſidias.
5. Vultur caſtra, & cadavera affectans, ſignificat eos, qui quaſi vultures Principum, & aularum ſunt aſſeclæ, ad hoc ut eorum ope alios expolient, quos Alphonſus Rex Aragonum ſolebat vocare Harpyas aulæ ſuæ. Sic & *Senec. epiſt.96.* Qui, inquit, amico ægro aſſidet hæreditatis cauſa, vultur eſt, cadaver expectat. Rurſum vultures ſunt voraces, & guloſi, nam ut ſcribit *Epiphan. in phyſiol.* vultur cunctis avibus voracior eſt: 40. enim diebus cibo abſtinet, quem cùm invenit, totidem ſeſe ex illo liberè ingurgitat; itaque quadragenariam abſtinentiam quadragenaria ingluvie compenſat.
6. Corvi ſunt, qui mortuis paſcuntur alienis.
7. Struthio, qui herodio ſimilis eſt pennis, ſed non volatu, H *Iob.39.* notat hypocritas, qui ſub religionis ſpecie aliis nocent. Qui intus eſt Nero, foris Cato, inquit *S. Hieron.* monſtrum eſt ſimile illi poetico,

Prima Leo, poſtrema Draco, media ipſa Chimera.

8. Noctua noctu acutum cernens, notat ſapientes in malo.
9. Latus amphibeus ſignificat milites, qui in terra quaſi aridi, & cœlibes, utpote uxore carentes, vagæ tamen luxuriæ aquis, & fluxu volutantur.
10. Accipiter rapax, qui ubi manſuefactus eſt, poſſeſſoribus ad prædas, & rapinas ſervit, ſignificat famulos ad dominorum nutum pauperes deprædantes.
11. Bubo ſignificat eos, qui fœdiſſimis ſceleribus oppleti lucem, & homines fugiunt.
12. Mergulus ſignificat eos, qui voluptatibus carnis abſorbentur.
13. Ibis ſignificat eos, qui in ſe, id eſt, corpora, & animas ſuas iniqui, & crudeles ſunt.

14. Cygnus ſignificat eos, qui de ſolis veſtibus, & terrena af- A fluentia gloriantur.

15. Onocrotalus ſignificat avaritiam inexplebilem.

16. Porphyrio ſignificat contumaces, qui nil niſi tinctum aqua propriæ voluntatis, & delectationis ſuſcipiunt.

17. Ciconia ſignificat ſtoliditatem ad capienda cœleſtia.

18. Charadria, avis garrula, ſignificat loquacitatem.

19. Upupa gemitum in cantu inter ſtercora ſimulans, ſignificat triſtitiam ſæculi; in hanc enim, atque in ſordes, & dolores, ſæculi deliciæ, & lætitiæ deſinunt.

20. Veſpertilio ſignificat ſæcularem ſcientiam, ſola naturalia, & terrena ſapientem. *Ita Radulph. & S. Thom. 1.2 q.102. art. 6. ad primum.*

* Apophthegmata.

Cotys, Thebanis gloriantibus, quod Lacedæmoniis imperarent: Vidi, inquit, torrentes perennibus ſtudiis majores factos, ſed ad breve tempus. *Ant. in Meliſſ. part.2. ſerm.1.*

Nerva ad quendam ipſum conſolari volentem hoc argumento, quod diceret, geneſin Veri non eſſe rectè collectam, eoque ſpem eſſe illum non diù victurum: iſtuc, inquit, tu facilè dicis, qui matrimonii tui non Reipub. quæris hæredem, B Sentiens, magni referre, ut bonus princeps quàm diutiſſimè vivat. *Ex Dione Caſſio.*

Diogenes interrogatus, quomodo quis vivere debeat ſub poteſtate? Perinde atque igni utendum eſſe dicebat, neque nimis prope accedendum, ne exuraris: neque nimium procul, ne rigeas. *Ant. in Meliſſ. part.2. ſerm.1. Stob. ſer.43.* idem apoph. tribuitur Antiſt.

Chrysippus rogatus, cur poteſtatem omnem in Reip. adeò fugeret: reſpondit: Quia ſi quis malè rexerit, diis pœnas dabit. Si bene, odio à civibus habetur. *Stob. ſerm.73.*

Demosthenes audiens quoſdam in Repub. evehi cupere: Omnium difficillimum eſſe dixit, ut hi, qui poteſtatem habent in multos, multis placeant. *Stob.* Idem dicere ſolebat, duabus viis propoſitis, quarum altera ad pulpitum oratorium, altera ad inferos duceret: prudentem virum præoptaturum eſſe eam, quæ ad inferos ducit, potiùs quàm, quæ poteſtate hominum ſublevat. *Stob.*

Eumenes fratribus ſuis crebrò dicere ſolebat: Si me ut rege uſi fueritis, vobis tanquam fratribus gratificabor: ſin autem tanquam fratre, ego vobis, ut rex. *Ant. in Meliſſ. part.* C *2. ſerm. 5.*

M. Cato dicebat, parentes parcè uti poteſtate debere, ut ſemper uti poſſint. *Stob. ſerm. de Magiſtratu.*

Licin. Varus, cùm Africano illi majori corona ſæpiùs in convivio impoſita rumperetur, Varus accommodanti dixit: Noli mirari, ſi non convenit, caput enim magnum eſt. Sentiens, hominem eſſe præpotentem, cui non quævis corona congrueret. *Eraſm. lib.6. Apoph.*

Cn. Lentulus Marcellinus Conſ. in concione graviter queſtus eſt de Magni Pompeii immodica potentia. Hujus orationem cùm populus clara voce acclamans approbaſſet: Acclamate, inquit, Quirites, dum licet. Jam enim vobis impune facere non licebit. Significans, illis potentiam brevi eo magnitudinis evaſuram, ut nulla in re tutum eſſet ullo pacto reſiſtere, ſi quid illi collibuiſſet. *Bruſ. lib.8. apoph. Valer. Max. lib.6. c.2.*

Cùm Pompejus gravi laboraret invidia propter immodicam potentiam, & ob vulnus faſcia linea tibiam vinctam haberet, dixit Aliquis: Quid refert, ubi geſtet diadema, in capite an in crure? nam candidum amiculum olim erat inſigne re- D gum. *Eraſm. lib.8. apoph.*

Proferentibus in medium, quòd Sylla dictaturam depoſuiſſet, Cæſar perpetuam gereret, quod minimum aberat à tyrannide, reſpondit Julius Cæſar: Syllam neſciſſe literas, eoque dictaturam depoſuiſſe. Dictant Grammatici diſcipulis, cum præeunt, aut recitant ſcribenda. Huc alludens, dixit, illum neſciſſe litteras. *Eraſ. 4. apoph.*

Plut. Ne puero gladium, proverbio dicitur. Ego verò dixerim, inquit: Ne puero divitias, nec viro doctrinæ experti potentiam. *Stob. ſerm. de Magiſt.*

* Hieroglyphicum.

Ægyptii Sacerdotes potentiam cujuſpiam, quæ & ſociis, & amicis pernicioſa eſſet, per aquilæ pennas ſignificabant. Hujuſmodi ſiquidem ea vis eſt, aliarum avium plumas ſi commiſceantur, interire, & quodammodo devorare videantur. *Pierius Valer. lib. 19. pag.* 170. Potentiæ regiæ ſymbolum eſt Elephas.

☞ *Vide in loco de Genu.*

POTESTAS BONI CUJUSCUNQUE, ACTIVA, VEL PASSIVA, RESPECTU E Subjecti, sive rerum. Privilegia, Jus

REGIONUM OCCUPANDARUM.

☞ *Sub Tit. Excommunicatorum, exempla quædam reperies poteſtatis datæ aliena regna occupandi.*

Mari dominandi.

Venetis tanquam dominis maris ejus deſpondendi jus permiſſum à Pp. Alexandro III. qui tum temporis Friderici I. Imp. minas fugiens apud illos exulabat. Namque Sebaſtiano Ciano duci contra Othonem Friderici F. navali prælio victori occurrens, primò gratulatus victoriam: inde annulum porrigens aureum: Accipe, inquit, Ciane, & me auctore ipſum mare hoc tibi pignore obnoxium redde: quod tu tuique ſucceſſores quotannis ſtato die ſervabitis: ut omnis poſteritas intelligat, maris poſſeſſionem jure belli veſtram eſſe quandoque factam: atque uti uxorem viro, ita illud veſtro ſubjacere imperio. Et hic mos etiamnum hodiè die feſto Aſcenſionis dominicæ ſervatur. *Sab. lib.7. Decad. 1.*

DIGNITATUM CONFERENDARUM.

Electionis Jus. F

☞ *Conſ. Tit. Electionis. Illic Patientis ratio habetur, hic Agentis jus conſideratur.*

Marcus Pp. Rom. qui Sylveſtro ſucceſſit, Epiſcopum Oſtienſem honore pallii decoravit, cùm eo ut Romanum Epiſcopum conſecraret. Quo jure ſolus Oſtienſis Epiſcopus per multos inde annos eſt uſus. *Sigonius lib.4. Imp. occid.*

Mortuo Henrico ſecundo Imp. Herebertus Mediolanenſis Archiepiſcopus relictis Italicis in Germaniam adiit, & Conradum ſecundum regem auctoritate propria ſalutavit. Ob id Conradus Archiepiſcoporum jure eo vel maximo inſignivit, ut quemadmodum Mediolanenſis antiſtes Epiſcopum Laudenſem jure ab Othone Magno accepto ſacrabat, ſic annulo, & virga præbenda inſtitueret. *Idem.*

Symmachus eccleſiam Romanam in antiquam libertatem reſtituere cupiens, Epiſcopos Vaticana in Baſilica cõvocavit, atque ad eos de lege regis Odoacris abroganda retulit, qua, inconſulto rege, comitia perfici pontificia vetabatur. Dictis ſententiis ex omnium auctoritate ejuſmodi ſublata conſtitutio eſt ut quæ apertè libertati Eccleſiaſticæ repugnaret, & clero nová ſervitutis conditionem imponeret, ut regiam in legendo Pon- G tifice voluntatem reſpiceret. Non ignorandum tamen eſt, hanc Symmachi ſanctionem obſervatam non eſſe: ac per multos pòſt annos injuſſu principis pro ratis ea comitia non fuiſſe: donec quieta tandem, ac tuta à ſeditionibus civitate, hoc jus ab Imperatore Conſtantino ultrò remiſſum eſt, Benedicto ſecundo Eccleſiam obtinente. *Sigon. lib.16. Imp. occid.*

Sub Nicolao ſecundo Pp. in Concilio Rom. de comitiis Pontificiis ita cautum. Cardinales Epiſc. diligentiſſimè ſimul de Pontificis electione conſulerent, mox clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus, & populus ad conſenſum novæ electionis accedat, caventes, ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat. Eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus: ſin minus, ex alia ſumatur: ſalvo debito honore, & reverentia dilecti filii noſtri Henrici tertii, qui in præſentiarum rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, & jam ei conceſſimus, ſicut ſucceſſoribus illius, qui ab hac apoſtolica ſede hoc jus perſonaliter impetraverint. Quòd ſi pravorum hominum ita perverſitas invaluerit, ut pura, ſincera, & gratuita fieri in Urbe non poſſit electio, Cardinales Epiſc. cum religioſis clericis, catholiciſque laici, H licèt paucis, jus poteſtatis obtineant eligendi apoſtolicæ ſedis Pontificem, ubi congruerit. Poſtquam autem electio fuerit facta, ſi bellica fuerit tempeſtas, vel qualiſcumque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, ut is, qui electus eſt, in apoſtolica ſede juxta conſuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen ſicut verus Papa obtineat auctoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius, quod B. Gregorium ante ſuam conſecrationem cognovimus feciſſe. Ex hoc decreto, quod electio Pontificis Romani in primis Cardinalibus permittitur, ipſorum Cardinalium tamen electio pòſt celebrari magis Romana in Eccleſia cœpit. *Sigon. l.9. regni Ital.*

Paſchalis Pontifex Ludovicum Pium Imp. corona donavit, & appellavit Auguſtum. Quare Ludovicũ Romanæ eccleſiæ, tribuiſſe ajunt, ut poteſtati, ac juri, quod Carolo Magno parẽti Adrianus pontifex ultrò conceſſerat, ſpontè renunciaret ſcilicet, nominandorum omnium Epiſcoporum. *Bonfin. l.10. Dec.1.*

Hadrianus tertius initio pontificatus ſui, ſtatim ad Senatum, popu-

populumque retulit, anno Domini 895. ne in creando ponti- A fice Imperatoris auctoritas expectaretur, utque libera eſſent & Cleri, & populi ſuffragia. Quod quidem inſtitutum à Nicolao primò tentatum potiùs, quàm inchoatum fuit. Illectum credo hac opportunitate Hadrianum, quòd Carolus Craſſus Imperator ab Italia cum exercitu diſcedens, in Normannos rebellantes moverat. *Platina.*

Leo IX. quem Imperator Romanis dederat pontificem, omne eligendi Romanum Pontificem jus ab Imperatore ad Clerum tranſmiſit. *Platina in vita ejus, & Chron. Bambergenſe.* Et in Synodo ad Sutrium habita ſtatutum eſt, ut in poſterùm Romanus præſul à Cardinalibus crearetur, pœnaque adverſantibus, negligentibuſque gravis indicta eſt. *Bonfin.*

Benedictus XI. cùm ex morbo, quo conflictabatur, moriturum ſe crederet, Cardinales, Epiſcopos, & cujuslibet ordinis Clericos ad ſe convocatos, ſacramento adegit, ne quiſpiam ex ſuo collegio ad Apoſtolicam ſedem, niſi ex conſenſu, & communi electione Fratrum aſcenderet, aut deſcendentibus præberet conſenſum. *Blond. lib.3. Decad.3.*

Conſtantinus IV. Imp. anno 648. auctoritatis Romanæ Eccleſiæ ſtudioſus, hoc deeſſe illius cumulandæ amplitudi- B ni arbitratus, antiquam ei comitiorum in legendo Pontifice libertatem reſtituit. Quippe divali ad Clerum, populum, exercitumque Romanum miſſâ, indulſit, ut quem ipſi Pontificem juſtis comitiis, concordibus animis, deſignaſſent, eum extemplò conſecrare ſine Imperatoris auctoritate jus eſſet. Quod poſt Juſtiniani tempora ita fuerat obſervatum, ut rarò ſine ſumma neceſſitate eſſet prætermiſſum. *Sigon. lib.2. regni Ital.*

In reconciliatione, quæ inter Henricum V. Imp. & Paſchalem II. Papam facta eſt, ipſo die Paſchatis Henrico in Imperatorem jam coronato, poſt lectum Evangelium tradidit ei Papa ante altare Apoſtolorum Petri, & Pauli, in oculis omnium principum, privilegium de inveſtitura Epiſcopatuum, vel Abbatiarum tam per annulum, quàm per virgam: ſcilicet ut regni ejus Epiſcopis, vel Abbatibus liberè præter violentiam, & ſimoniam electis, inveſtituram virgæ, & annuli conferat: poſt inveſtituram verò canonicè conſecrationem accipiat ab Epiſcopo, ad quem pervenerit. Anno MCXI. juxta Sigebertum. Facti poſteà pœnitens, eo prætextu, quòd neceſſitate C coactus promiſiſſet, reſcidit id factum in Romana Synodo: & tandem effecit, ut Henricus deſertus ab omnibus, jus illud vel invitus ſuis ſucceſſoribus conſignare fuerit coactus. De eo ſic. *Æmil. lib.5.* Henricus V. Imp. ſuorum hortatu permotus, in gratiam cum Pontifice Calliſto redit. In Vangionibus conventus procerum habitus: quò & legati Pontificis maximi occurrere. Sua utrique cauſæ, hinc ſanctitas, illinc majeſtas ſervata eſt. Veſtituræ Eccleſiaſticæ, baculique ſacri, ac annuli dandi jure ceſſit Auguſtus: & legatus Romanus Cæſarem in gratiam, conſortiumque piorum recepit: & jus litui dandi ea ratione reſtituit, ut id privilegium foret, ac homini datum: ad poſteros non valeret, nec exemplo haberetur.

Eduardus III. Anglorum Rex, cùm bello Gallico ann. 1374. à ſuis eſſet ſtipendium in militem petiturus, voluit omnes ad id libenti animo dandum beneficio quopiam hortari, adducereque. Itaque populo nonnulla irrogavit privilegia, ſacerdotibus verò jurejurando promiſit, per ſe non ſtaturum deinceps, quò minùs eſſet integrum, optare ſibi quos vellent Epiſcopos, alioſque præfectos, atque idem à D Romano Pontifice concedendum ſe curaturum. Pontifex Romanus tum primum illud conceſſiſſe videtur; cùm etiam nunc apud Anglos nihil poteſtatis habeat in eligendis Epiſcopis, ſed tantùm à principe deſignatos faciat. Sic reges ſuo conſtanter utuntur inſtituto, quippe qui ſuo arbitratu Epiſcopos deſignant: id quod Edovardo ipſi paulò poſt ut faceret, eſt perſuaſum ab ambitioſis ſacerdotibus. Porrò illi in aula diu verſati, cùm non ſperarent, poſſe ſe tam facilè ſui ordinis honores de collegarum ſententia, quàm à principe conſequi: & Pontificis, & Regis irrogati privilegii, ut ſibi minimè commodi auctores violandi extiterunt. Atque ita res privata publicam ſuſtulit. Itaque patres pecuniam ad neceſſarios belli ſumptus faciendos imperarunt, cujus magnam partem ſacerdotes ſolverunt: collato ex decima tributo. Tum enim primùm annui fructus omnium poſſeſſionum ordinis ſacerdotalis æſtimati ſunt, ac ſecundùm eam æſtimationem poſteà ſacerdotes cùm regi tum Romano Pontifici decimas ſolverunt: cùm anteà quiſque ex decima vectigalium, quæ in ſingulos annos caperet, tributum conferret. Quapropter ea æſtimatio poſteà ordini damno fuit, cùm fructus multorum ſacerdotiorum ita diminuti ſint, ut decima interdum quintam partem abſorbeat. At ubi Gregorius XI. Papa id reſcivit, valde E multùm reclamavit: illud aliud eſſe nihil, niſi Chriſtianam Eccleſiam dividere, niſi religionem exinanire, niſi jus faſque delere, cõncilia omnia denique reſcindere. Quare primo quoque tempore cum Edovardo egit, ut legem tolleret. Exin orto ſchiſmate, cùm non eſſet Pontifex, qui hæc curaret, tandem Martinus V. ſuper ea re literas vehementiores ad Henricum VI. regem ſcripſit. Sed utrique unum datum eſt reſponſum, non poſſe reſcindi decretum concilii, ſine auctoritate concilii, & propterea futurum eſſe, ut tale concilium quàm primùm haberetur: quod tamen poſteà nunquam eſt habitum. *Polyd. lib.9.*

Cùm Petrus III. Aragoniæ rex Oſcam civitatem vi expugnaſſet, & Almozabenum Maurorum Regem in fugam egiſſet, capto Garcia fratre Regis Caſtellæ, qui Mauris auxilio venerat: Urbanus II. Papa decimas, primitiaſque, & omnia beneficia gentilitia Juris patronatus omnium Eccleſiarum, & civitatum, à quibus infideles hoſtes ejecerat, ut ipſe, & ſui ſucceſſores in perpetuum, quibus vellent, conferre poſſent, Exceptis Epiſcopatibus conceſſit. Tarapha de regibus Hiſpan. Sed aliquot poſt annis Romam veniens Petrus VII. Aragonum rex, & ab Innocentio III. corona panis azymi F coronatus, Pontifici reſtituit jura patronatus omnium Eccleſiarum, viciſſim Innocentius ei conceſſit, ut ipſe, & ſucceſſores ejus in Pontificatu vexillum Eccleſiæ ferrent cum armis Aragoniæ, quæ ſunt crocei, rubrique coloris: conceſſit etiam, ut omnes bullæ, quæ à Romana curia mitterentur, eſſent munitæ chordula prædictorum colorum. Nobiles verò Aragonum, Barcinonæque principatus omnes, de renunciatione juris patronatus, quòd eis, & omnibus populis principatus nocitura videbatur, uno ore reclamarunt, ſeque voluntati, & renunciationi Regis de jure patronatus non aſſentiri publicis inſtructionibus teſtati fuere. *Marinæus lib.10. rer. Hiſp.*

Sub Jacobo III. Scotorum rege mos inolevit, ut ſacerdotia majora non niſi Rege offerente, & intercedente à Papa obtinerentur: cùm prius penes conſules jus edictionis eſſet. Hinc monaſteria ad pios pauperum uſus fundata, dotataque, regis vel gratia, vel indulgentia in profanorum hominum uſus ceſſere, eleemoſynæque ſublatæ, & in deliciarum abuſum converſæ, legitimis monaſteriorum præfectis G quibus divinus cultus mandabatur, ereptæ ſunt. *Appendix. Hiſt. Scotorum.*

Julius II. Papa ſacra beneficia per totam Inſubriam conferendi regi Galliæ Ludovico XII. poteſtate, qualem olim habuerat Franciſcus Sfortia, brevibus de more literis conceſſit. *Guicciard. lib.7.*

Imperatorum.

Theodelinda Agilulfi Longobardorum regis uxor oppidum olim Moguncia cum, tum verò Modoetiam appellatum, quod XII. millibus paſſuum aberat à Mediolano, nobilitavit, nam & regiam ibi magnificam condidit, & regiæ baſilicam nobiliſſimam addidit. Baſilica inde D. Joannis Baptiſtæ nomini conſecrata, ipſa ſe, ac Longobardos multis ei templo muneribus obligavit. Ab illo tempore Longobardi publico vero illius Divi fuere patrocinio commendati. Loco inde acceſſit dignitas, poſtquam corona ferrea ibi cuſtodiri, atque ea ibi coronari reges ſunt cœpti. Sic enim Mediolanenſes produnt annales, Mediolanenſem Archiepiſcopum eo jure à Gregorio Pontifice decoratum, ut vacante Italiæ regno, ipſe poſt XIV. dies ſuffraganeorum ſuorum concilium H advocaret, atque ex eorum ſententia regem conſtitueret, eumque corona ferrea à Theodelinda inſtituta Modoetiæ redimeret. Quod jus à Rege ullo Longobardo uſurpatum, Paulus nuſquam oſtendit: immò morem ei fuiſſe ait, haſtam regi declarato porrigerent. Verùm ne auctoritatem prorſus Mediolanenſibus abrogem, illud facit, quòd coronam hanc ferream poſt Carolum Magnum omnibus Italiæ regibus video deinceps fuiſſe ſolemnem: &, quod hoc muneris Gregorium Theodelindæ petenti tribuiſſe, non ſit abſonum, vel ut gratiam reginæ referret, cui plurimùm ſe debere ipſe in Epiſtolis confitetur, vel ut Archiepiſcopo acceſſionem dignitatis adiungeret, quam ſuperioribus annis Longobardorum immanitate afflictam, proſtratamque fuiſſe ſentiret. *Sigon. lib.1. regni Ital.*

Regum.

Authari rege Longobardorum vixdum circumacto à Theodelindæ Bavarum nuptiis anno, qui ſextus ei ab inito regno fuit, mortuo, tantum Theodelindæ ſanctitas valuit apud Longobar-

gobardos, ut regem comitiis creare ſoliti, tunc jure ſuo ultrò
A ceſſerint, conſenſerintque, ut quencumque ipſa vidua maritum optione data legeret, is rex ab univerſis ſalutaretur. Illa Agilulphum ducem Taurinorum delegit, eumque regem matrimonio fecit: gentemque omnem tandem pepulit, uti Chriſtiani efficerentur. *Æmilius lib.* 1.

Franci cùm mortuo Lothario Carolum Calvum creaſſent regem, Adrianus ad Hincmarum Rhemenſem Epiſcopum ſcripſit, eumque excommunicari juſſit, ut poſſet ipſe alium, quem volebat, illis deſignare regem. Sed Franci Eccleſiaſtici, & politici viri, in Rhemenſi conventu reſponderunt, nullam unquam talem præceptionem à ſede Apoſtolica ad Epiſcopos Galliæ miſſam eſſe.

Regis Boemiæ coronatio, ex Friderici I. Imp. diplomate Pragenſi, & Olomucenſi Epiſcopo commiſſa. Quòd ſi fortè Olomucenſis defuerit, nihilominus Pragenſis vices compleat amborum. Similiter autem Olomucenſis, ſi fortè Pragenſis defuerit. Eum morem Boemi retinent. Itaque dum Ludovicus Pannoniæ Rex, diademate regni Boemiæ inaugurandus eſſet, ejuſque rei gratia, duo fratres Germani Tur-
B ſones, Joannes Uratislavienſis, Stanislaus Olomucenſis, Epiſcopi Pragam veniſſent, cuperetque Stanislaus natu junior, Joanni tanquam fratri ſeniori de loco, functioneque ſua concedere: vehementer primates nobilitatis reſiſtebant, dicentes, in publico munere defungendo, privatæ neceſſitudinis rationem haberi non debere, nec publicum decus perſonarum à majoribus acceptum eſſe mutandum. *Dubravius lib.*12.

Pius ſecundus Triballis confirmari ſibi quem ipſi regem nominaſſent poſtulantibus, ad Pannonas id juris pertinere dicebat: Contendentibus, liberos eſſe: Quid ergo inquit, ſervitutem poſtulatis? *Campanus in ejus vita.*

Conſulum.

Odoacer Herulorum rex, Italiæ regno potitus, Romanis Senatus auctoritatem, & conſulum dignitatem, ad feroces contundendos ſpiritus ademit, & præfectum prætorio urbi dedit Baſilium. Cæterùm non multò poſt odium adversùs Romanos ita mitigavit, ut conſulem Civitati, atque Occidenti reddiderit. Is honos Baſilio delatus eſt, quem magiſtratum ille ſolus geſſit, qui fuit à Chriſto nato CCCC. LXXX. *Sigonius*
C *lib.*15. *Imp. occid.*

Fridericus I. Imp. everſo Mediolano Cremonenſibus ſociis jus creandorum Coſſ. conceſſit: itidem & reliquis amicis civitatibus. *Sigon. lib.*13. *regni Ital.*

ANIMADVERSIONIS,
GLADII JUS.

Gladii poteſtas dicitur jus animadvertendi in facinoroſos homines. *l.3. ff. de juriſdict. l.6. §. qui univerſas. ff. de offic. præſid. Lampridius in Alexandro Severo*, Honores juris gladii nunquam vendi paſſus eſt: dicens, Neceſſe eſſe, ut qui emit vendat. *Hotoman. de Verbis juris.*

RELATIONIS JUS.

Romanis Impp. initio principatus quintæ relationis jus contribuebatur, ſenatus decreto: qui honor fuit exquiſitus. Propterea in Pertinace Capitolinus, quartæ relationis jus illi fuiſſe omen ſcribit, quoniam, uti eruditis placet, in numero deminuto fuerit Imperii brevis, ac Thebani planè præſagium. Nam & Probo Imperatori, cui tertiæ jus
D relationis fuiſſe additum prodit Flavius Vopiſcus, id ipſum ferè uſu venit. Jus autem quintæ relationis intelligunt, uti quinquies ſuper re judicata jam referre ad ſenatum poſſent, præjudiciis nil officientibus. *Cælius lib.* 22. *cap.*10. *A. L.*

POMOERII PROFERENDI.

Antiquiſſimum urbis Romæ pomœrium à Romulo inſtitutum, Palatini montis radicibus terminabatur. Sed id pro incrementis Reip. aliquoties prolatum eſt. Jus proferendi habebat, qui populum Rom. agro de hoſtibus capto auxerat. Produxit ergo Ser. Tullius, item L. Corn. Sylla, tandem quoque C. Jul. Cæſar. Et nullus tamen eorum Aventinum montem pomœrio incluſit, cùm reliqui ſex pomœrio continerentur. Cauſa fuit, quoniam in eo monte Remus auſpicia captans, à Romulo ſuperatus fuit. Idcircò omnes montem iſtum quaſi obſcænis avibus ominoſum excluſerunt. Claudius tamen Cæſar eundem poſteà pomœrio incluſit. *Gell. lib.*13. *cap.*13. *ex M. Meſſala augure recitat.*

MONETÆ SIGNANDÆ.

Antiochus Pius Aſiæ rex, Simoni duci, & Pontifici Judæorum honoris ergo permiſit, uti propria patriæ ſuæ nota monetam cudere poſſet. 1. *Machab.* 15. E

Henricus III. Imp. ann. 1049. jus monetæ ſignandæ Epiſcopo Patavino indulſit. *Sigon. lib.*8. *regni Ital.*

Anno 1139. Genuenſes à Conrado tertio Germanorum rege pecuniæ ſignandæ jus impetrarunt. Itaque in hunc uſque diem accepti beneficii monumento, nummos aureos ipſius Conradi regis nomine ſignant. Placentini etiam jus ſignandæ pecuniæ à Conrado obtinuere. *Sigon. lib.*11. *regni Ital.*

Fridericus primus Imp. capta Derthona an. 1158. Cremonenſibus amicis honoris loco jus pecuniæ ſignandæ conceſſit. *Sigon. lib.*12. *regni Ital.*

Lucius tertius Pontifex, ut cives ſuos Lucenſes eximio aliquo beneficio inſigniret, tantam ſibi dignitatem miſſa ad ſe legatione honeſtiſſima gratulantes, jus Friderico primo Imp. aſſentiente indulſit, ut pecuniam cuderent Tuſciæ, Marchiæ, Romaniæ, Campaniæque communem. *Sigon. lib.* 14. *regni Ital. & Crantz. lib.*9. *Metrop. cap.*1. *& Platina.*

Henricus VI. an. 1191. Bononiæ in Epiſcopio hoſpitatus, novum jus civitati cudendæ monetæ conceſſit. Primus num- F
mus excuſus ab una parte Henrici, ab altera Bononiæ nomen habuit, à qua etiam appellationem accepit, ut Bononienſis dictus. *Sigon. lib.*15. *regni Ital.*

Otho III. Erponi Verdenſi Epiſcopo libertatem argentum cudendi conceſſit, ac ut ſolemnes nundinas ubicunque locorum intra ſui Epiſcopatus limites indiceret. *Crantzius in Metrop. lib.*3. *cap* 36.

Otho V. Bojorum dux, rejecta pecunia veteri Ratiſbonenſium, cujus nummi ſexaginta drachmis valebant, novum numiſma Landshutæ fecit, eoſque nummos, nec alios, in Bojaria recipi edicto juſſit. *Avent. A. D. lib.*6. *Annal. Bojor.*

LEGITIMATIONIS.

Bartholus in tractatu ſuper extravagante ad reprimendum, ſcribit ſe à Carolo IV. Imp. in conſiliariorum, & domeſticorum numerum eſſe cooptatum: eundemque Carolum ſibi, poſteriſque ſuis, qui legum Doctores eſſent, dediſſe jus legitimandi, & concedendi veniam ætatis. *Hotoman. de Verbis juris.*

G

TESTIMONII DICTIO VEL PERMISSA, VEL PRIVILEGIO EXORNATA.

☞ *Conſule Tit. Auctoritas Juſtitiæ, quatenus Teſtimonium Veritati, & Fidei ſubiicitur.*

Tarquinia Veſtalis ob donatum pop. Rom. fundum, qui campo Martio adjacebat, teſtimonii dictionem inter feminas ſola obtinuit. *Plut. in Poplicola Gell. lib.*6. *cap.*7. Cajam Tarratiam, ſive Suffetiam vocat.

SUFRAGIORUM JUS.

Cùm olim Colophonii domeſticis ſeditionibus tumultuarentur inter ſeſe, evenit, ut aliquot ex illis mutatis ſedibus ad Smyrnæos demigrarent. Dein accidit, ut cùm bellum gererent Smyrnæi, ac ſæpenumerò victi diſceſſiſſent, tandem adhibitis Colophoniis, quos in civitatem receperant, extiterint ſuperiores. Unde inſtitutum eſt, ut quemadmodum Smyrnæi non vicerant in bello, niſi Colophoniorum acceſſione: ita nec in ſuffragiis vincerent, niſi illorum calculum adjungerent. Proinde cùm Jonii duodecim ci- H
vitatibus imperarent, quarum una Smyrna, in publicis conſiliis, ſi quando Smyrnenſium æquales fuiſſent calculi, pars ea vincebat, cui ſubſcripſiſſent Colophonii illi, quorum opera vicerant in prælio. Nec abhorrent ab his, quæ refert Jabenus ſcriptor Græcus, duodecim Joniæ civitates convenire ſolitas: id concilium Panionium dicebatur: in quo ſi fortè calculis hinc, atque hinc paribus nihil decerni poterant, acceſſebantur Colophonii, qui victoriam adferebant, utricumque parti fuiſſent ſuffragati. Itaque proverbium, Colophonium ſuffragium, quadrabit, cùm ſignificabimus judicium, aut ſuffragium alicujus plurimùm in re quapiam valere, *Eraſ. in Adagiis*. Paulò diverſius. *Suidas.*

AGRICULTURÆ.

Quia Galli, Pannones, Hiſpani, & Britanni Bonoſo, & Proculo in Gallia rebellantibus Probo Imper. fidem ſervarant, auxilio fuerant, fecit his Probus poteſtatem ferendæ vitis, & vini conſitendi. Ipſe ad uſum urbanæ multitudinis

circa Syrmium Almum montem militari opere foſſum vites
A conſevit. *Sab. lib.*7. *Enn. ex Eutropio, & Vopiſco.* Ex quo intelligi poteſt, non ſoli vitio, aut aeris intemperie terram Gallicam vitibus olim caruiſſe, ſed Imp. Rom. libidine oppreſſam vites non conſeviſſe.

VENATIONIS JUS.

Otho III. Imp. Erponi Terdenſi Epiſcopo permiſit monetæ jus, & mercatum in loco Eccleſiæ ſuæ ſolemnem, venationem quoque cervorum, & cervarum, ſublimium ferarum: qui fuit ob olim ſervatus honor ſummis Principibus. Extant deſuper literæ datæ anno 985. Pagum autem venationis, Sturmium vocant. *Metrop. Crantzii lib.* 3. *cap.*36.

NUPTIARUM DELECTUS.

Gallia Athenienſis, vir clariſſ. & ſummus Piſiſtrati hoſtis, Filiabus tribus, poſteàquam nubiles extitere, hoc magnificentiſſimum munus eſt gratificatus: ut quem ſibi unaquæque vellet ex omnibus Athenienſibus, ceu ſponſum, deligeret. *Herod. lib.*6.

Tarquinia Veſtalis cùm propter donatum pop. Rom. fundum, campo Martio vicinum, jus nubendi plebiſci-
B to conſecuta eſſet, eo tamen uti noluit. *Plut. in Poplicola.*

Authari Longobardorum rege veneno ſublato, quoniam nemo omnium virtute, atque auctoritate ita eminebat, ut dignus eo faſtigio communi judicio videretur: duces, poſtquam diù diverſis inter ſe certavere ſententiis, univerſi eò decurrerunt, ut Theodelinda regina, Garibaldi Bojoariorum regis F. ſpectatæ prudentiæ, ac moderationis animi femina, in Imperio permaneret, & quem ipſa ſibi maritum è Ducibus Longobardis optaſſet, ille regiam poteſtatem teneret. Illa conſilio cum majoribus natu communicato, Agonem, ſive Agilulfum, Taurinatium Ducem, Authari propinquitate conjunctum elegit, virum præclaris omnibus corporis, animique virtutibus ad regni gubernacula tractanda aptiſſimum: atque eum pro Imperio mox ſibi præſtò eſſe ad Laumellum oppidum juſſit. Affuit Agilulfus, conſilii reginæ prorſus ignarus. Theodelinda, ut voluntatem ſuam nudaret, nobile convivium apparavit. Ibi, cùm procedente cœna ſumpto poculo vini partem hauſiſſet, reliquam patrio more propinans præſenti Agilulfo porrexit. Cùm autem Agilulfus accepto poculo reginæ dextram venerabundus cuperet oſculari, tum illa non ſine rubore aliquo
C renitens: Atqui te, Agilulfe, inquit, non manum, ſed os ſuaviari oportet: ego namque te in thori communionem elegi. Ita Agilulfus nuptiis ingenti omnium, qui aderant, gratulatione contractis, rex Novembris initio ſalutatur. *Sigonius lib.*1. *regni Ital.*

Arioaldo rege Longobardorum ſine virili ſtirpe mortuo, Longobardi comitia creando regi habuerunt, ac Gundebergæ reginæ, Autharis filiæ, mariti, regiſque optionem, ut antè Theodelindæ matri, dederunt. Illa Rotharim Harodum genere legit, cæteris virtutibus illo loco digniſſimum, verùm hæreſi Arriana infectum. *Sigon. l.*2. *regni Italici.*

INGENUITATIS.

Natalibus reſtitui dicebantur Liberti, qui beneficio Principis ingenuitatis jus, ac dignitatem adipiſcebantur. Natalia enim ſunt, jus libertatis, quod natura principio generi humano æquabiliter tribuit, ut aler alterius ne pareret Imperio. *Hotoman. de verbis juris.*

TUTORIS OPTANDI.

D Feceniæ Hiſpalæ meretrici, ob detectam Bacchanaliorum turpitudinem, data ſunt à Senatu Rom. inter reliqua ornamenta etiam centena millia æris, & tutoris optio ut eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet, *teſte Livio lib.*9. *Dec.*4. Nam Romanæ mulieres, niſi viri teſtamento tutorem obtinuiſſent, non ſponte legendi poteſtatem habebant, ſed à prætore cogebantur accipere.

DONA ACCIPIENDI.

Urbanus, qui ſedere cœpit anno Salut. CCXXVII. decrevit primus, ut Sacerdotibus liceret prædia, ac fundos à cultoribus religionis oblatos recipere, nihilque cuipiam privatum eſſet, ſed ad commune bonum. *Polyd. lib.*6. *cap. ult. de rer. In.*

TRIBUTI EXIGENDI.

Clemen V. in quinque annos jus decimarum de templorum proventibus cogendarum, Philippo Pulchro Francorum regi dedit. Hilermus Tornacenſium Pontifex, auctor eſt, Bonifacium IX. jus dediſſe regi Pulcro, ad belli neceſſitates, pecuniæ etiam à ſacerdotibus cogendæ (promiſſis LX. aureorum millibus) idemque jus eundem mox abrogaſſe, ſacerdotum querimoniis permotum. *Æmilius lib.*6. E

VESTIUM GESTANDARUM.

Jus togæ Principes peregrinis dabant, ut iis veſtitu civium Rom. proprio uti liceret.

Joannes Ferdinandi regis Neapolitani F. puer adhuc Tarentinæ Eccleſiæ præfectus à Sixto IV. ejus liberalitate obtinuit, ut etiam ante promulgationem habitu Cardinalitio uteretur, id quod nulli antè vel poſt conceſſum legitur. *Garimbertus lib.*4. *de vitis Pontificum.*

ANNULORUM.

Jus aureorum annulorum erat, quod Libertis hominibus concedebatur à Principe, ut ſcilicet eodem jure eſſent, quo equites ii, quibus aureum annulum geſtare licebat. Nam etſi aureus annulus inſigne ordinis equeſtris erat, ut Plinius teſtatur: non omnibus tamen equitibus, ſed iis tantùm, qui quingenta ſeſtertium in cenſu habebant, eum licuiſſe geſtare, vel ex eo intelligi poteſt, quòd Suetonius, & Macrobius de Laberio ſcripſerunt: qui cùm Cæſaris poſtulatu mimum egiſſet, ab eo aureo annulo, & H. S. quingentis do- F
natus, ſeſſum in quatuordecim ex ſcena in orcheſtram tranſiit. Sed aliud eſt jus annulorum, aliud annulos habere: item ut jus liberorum, & liberos. Non enim quibus jus annulorum dabatur, ii continuò equites erant. Nam, ut ait *Ulp. in l.*4. *ff. de jure aur. annul.* etiam feminæ jus illud impetrare poterant. At quibus annulus dabatur, ii continuò equites fiebant, & in quatuordecim conſidebant, ut de Q. Roſcio Comœdo memoriæ proditum eſt, qui annulo aureo, & quingentis H-S. à victore Sylla donatus, eques factus eſt, ut idem liceat ei, qui hoc impetravit, quod ei licet, qui revera aureo annulo donatus eſt: id eſt, ut pro ingenuo habeatur, neque patrono ullum officium (excepta reverentia) obſequium, operamve debeat, duntaxat, quamdiù in vita manebit. Nam (ut ait *Ulpianus*) quaſi ingenuus vivit, tanquam libertus moritur, *l.*3. *ff. de bon. lib. l.*4. *de jure aur. annul.* id eſt, adversùs ejus tabulas patronus præteritus bonorum poſſeſſionem obtinet. Item *Ulp. l.*10. §.2. *ff. de in jus voc.* Sed ſi jus annulorum accepit, puto eam reverentiam patrono exhibere debere, quamvis omnia ingenuitatis munia habeat. *Hotom. de verb. juris.*

Tranquillus Menam Sex. Pompeii libertum, quem poſt G
claſſem patroni ſui proditam, aureorum annulorum jure ab Auguſto donatum, Dion ſcribit: in ingenuitatem ab eodem aſſertum teſtatur. Sed de Mena Dion apertius elocutus eſſet, ſi aureo cum annulo, non jure aureorum, ab Auguſto donatum dixiſſet, cùm Horatius id perſpicuè oſtendat: *Zonaras* autem *lib.* 2. ſic ſcribit: Quidam Antonius Muſa Auguſtum ita malè affectum frigidis lotionibus, & potionibus curavit, qua de cauſa pecuniam tum ab ipſo, tum à Senatu accepit: juſque illi quamvis libertino homini, eorum annulorum datum eſt: vacationem prætereà tum ipſi, tum aliis medicis, non modò qui tum erant, ſed & qui poſt futuri eſſent, conceſſerunt. *Idem.*

ORNAMENTA VESTIUM CONFERENDI.

Eumeni Cardiano jus erat cauſias purpureas, & chlamydes conferendi: quod habebatur apud Macedones inter dona regia præcipuum. *Plut. in Eumene.*

TESTAMENTA CONDENDI, HÆREDITATIS ADEUNDÆ. H

Cùm ex Domini præcepto in campo Moabitarum Moyſes Iſraelitas omnes recenſuiſſet, ut eis terra Sancta, quam invaſuri erant, divideretur. Filiæ Salphaad, ex gentilitate Manaſſis, qui in deſerto mortuus fuerat, quinque numero, Maala, Noa, Hegla, Melcha, & Therſa, Moyſem convenerunt, & quandoquidem pater ſuus nullo hærede filio relicto in ſolitudine cum aliis periiſſet, vir alioqui bonus, minimeque ſeditioſus, petierunt ut ſibi inter conſanguineos ſui patris daretur poſſeſſio. Moyſes igitur conſulto Domino, ad eas hæreditatem paternam tranſtulit: & porrò legem tulit, ut ſi quis ſine filio moreretur, filia in hæreditate ſuccederet: ſi etiam ſine filia, fratres: ſi neque fratres haberet, patris fratres hæreditatem adirent: ſi ne hi quidem eſſent, darent hæreditatem ei, qui de ejus gente ad eum propinquitate proximè accederet. *Num.*27.

Solonis Athenienſis probatur lex teſtamentaria. Etenim anteà non erat jus Athenienſibus teſtamentum condere, ſed familiæ defuncti pecunia, & hæreditas relinquendæ erant. Hic

liberum fecit non extantibus liberis, cui viſum eſſet, ſua do- A nandi, amicitiamque propinquitati, & gratiam prætulit neceſſitati, pecuniamque mancipium fecit poſſeſſorum. Nec indefinitè tamen citra delectum dare indulſit: ſed ſi non per morbum, vel medicamentum, nec vinculis, vel vi aſtrictus, vel uxoris inductus eſſet blanditiis, rectè, atque ordine, improbis modis inducaris, an vim patiaris, nihil ratus intereſſe: ſed dolum, vi, & voluptatem dolori conferens, quaſi æquè de ſtatu mentis deiicere homines valeant. *Plut. in Solone.*

Lex Athenis fuit, ut ſi quis nothum haberet filium, legitima Filia caperet hæreditatem, nothis autem 5. minæ circiter relinquerentur, *Suidas.*

Apud Arabes lege cavetur, ut fratres gentilium hæreditatum ſucceſſores antecedant filios, quia natu grandiores ſint. Apud Æthiopes ad regni ſucceſſionem non regis, ſed fratrum filii vocabantur. Lyci populi filias, non filios, hæredes nuncupabant, & à matribus cognomenta ferunt. *Alex. lib.6. cap.10. Stob. ſerm.42. ex Nicol. de Morib. gent. hiſt. & Herodot. lib.4.*

Germanis de bonis teſtari non licebat, ſed ſi liberi extarent, ad inteſtati patris hæreditatem admittebantur: ſin minus, B proximiores propinqui. *Alex. lib.6. cap.10.*

Duodecim tabularum apud Rom. lex maſculos æquè ac feminas ad bona parentum pariter vocavit, eoſque ſive teſtamento valido, ſive nullo, nec ſolum natos, ſed poſthumos, invitos & neceſſarios hæredes eſſe juſſit, proque hæreditariis portionibus legata diſtribui voluit. *Ibidem.*

Nobiles Primogeniti apud Gallos, ut etiam apud Britannos, magnam capiunt partem totius hæreditatis, ac perpetua majorum ſucceſſione avitas hæreditates tuentur, ne in plures diſtractis prædiis, decus nobilitatis, quæ militarem diſciplinam tuetur, intereat.

Jus teſtamenti à Carolo Magno Saxonibus ademptum, à Ludovico Pio Imp. reſtitutum. *Æmil. lib.3.*

Pius II. eorum Cardinalium teſtamenta, qui Romæ deceſſiſſent, libera eſſe voluit: qui inteſtati obiiſſent, eorum bona ita demum referri in ærarium eſt paſſus, ſi nec propinqui comparuiſſent. *Campanius in ejus vita.*

SIGILLI JUS.

C Inſtitutum obſignandi literas Rom. Pontificis plumbo, unde? Satis conſtat Agathonem, quo ſedente magna ſedi facta eſt honoris acceſſio, in cera annulo impreſſiſſe ſigilla. Verùm poſteà cùm Rom. Pontifex multa irrogaret privilegia, ut diplomata diuturniora forent, placuit Stephano III. ac deinde Hadriano I. tabulas Apoſtolicas plumbo obſignari. Fuit is annus Salutis DCCLXXII. cum ipſe Hadrianus factus eſt Pontifex: nam antiquius non reperitur ſigillum plumbeum. Quemadmodum conſtat ante Carolum Magnum Imp. literas auro obſignaſſe principum Romanorum neminem. *Polyd. lib.8. cap.2. de rerum Invent.*

Alexandro III. Venetiis exulante, Veneti pro eo ad Fridericum Imp. legatos miſere. Pontifex cùm Ducem literas ad Fridericum de fide legatis habenda cera obſignantem conſpexiſſet, mandavit, ut Ducariæ deinceps literæ plumbo munirentur. Obbo, duplici, ait, Venetos Principes ad eam diem ſignandi forma uſos fuiſſe, ut publica monumenta plumbo, epiſtolas, ac reliquos libellos cera communirent: ſed tum primum Alexandro auctore receptum, ut in his quoque plumbo D uterentur. *Sab. lib.7. Decad.1.*

In Siradienſi terra nobiles id Regum Polonorum privilegii ob bellicam fortitudinem conceſſum habent, ut cera rubea in obſignandis literis utantur. Quod alioqui ſolis magnatibus, & officio regio præfectis, conceditur. Nam cum Prutent cum Polonis in acie acriter confligerent, Lancinienſes à Prutenis Crucigeris ſuperati, vexillum ſui Palatinatus amiſerant: quibus Siradienſes in auxilium venientes, vexillum ab hoſtibus recuperaverunt. *Guagninus in deſcriptione terræ Siradienſis.*

ARMORUM GESTANDORUM.

Apud Chæroneos olim coronatum eſſe, & comatum, ferrumque geſtare, atque in Phocenſium fines non penetrare, ad officium pertinebat ſummi magiſtratus. *Plut. in quæſt. Rom.*

BELLI INDICENDI.

Regibus Spartiatarum jus datur, bellum in quamcunque libuerit regionem inferendi: ut id nulli Spartiatarum prohibere fas ſit, alioqui piaculari crimine teneatur. *Herod. lib.6.*

Ut belli jus omne eſſet apud Rom. in populo, Servia lege ſub regibus cautum erat, ut Dionyſius tradit, multò ma- E gis poſt regifugium. *Liv. lib.4.* Controverſia fuit, inquit, utrum populi juſſu bellum indiceretur, an ſatis eſſet ſenatuſconſulto. Pervicere Tribuni, denunciando ſe delectum impedituros, ni Quinctius ad populum ferret. Omnes centuriæ juſſere.

INSIGNIUM BELLICORUM.

Henricus IV. rex Germanorum contra Gregorium VII. Pap. ducens, Patavinos ſui maximè ſtudioſos nactus, Milonis Epiſcopi propinqui ſui, & reginæ Bertæ rogatu, libertate, & carrocii uſu eos donavit. Patavini inde carrocium ſuum propterea Bertæ nomine appellarunt. Quos eoſdem Cremonenſes quoque ſequuti, eodem, ut puto, beneficio affecti, ſuum & ipſi Bertam, ac Bertacciolam vocarunt. *Sigonius lib.9. regni Ital.*

EQUORUM UTENDORUM.

Evectiones dicuntur *in l.3. C. de curſ. pub.* Principis literæ, quibus alicui poteſtatem fecit publicis equis curſualibus utendi. Earum autem uſus privatis interdicitur: & magiſtratibus, cæteriſque, qui in officio ſunt, permittitur, *l. nullus 11. C. eod.* Tractoriæ appellantur *ſub Rub. de tractoriis, & ſtat. Hotomanus de Verbis juris.* F

Cùm apud Rom. lege vetere Dictatori equo uti non liceret, vel quia maximum robur in pedite ponerent, vel quia ingentem dictaturæ poteſtatem refrænare vellent, ut populi indigens videretur: Q. Fabius Maximus Verrucoſus dictator dictus contra Annibalem, magiſtro equitum M. Minutio dicto, primùm à Senatu impetravit, ut ſibi in bello equo uti liceret. *Plut. in Fabio.*

SACRORUM JUS.

Erythrei ſolis Thraciis mulieribus templum Herculis intrare permittebant: eò quòd ſolæ iſtæ apud Erythræos ob victum ſervæ factæ, ſe tondendas præbuerint, juxta cæci cujuſdam piſcatoris ſomnium, ut confecto ex ſuis crinibus fune, ratim, in qua ſimulacrum Herculis erat, faciliùs ad ſe pertrahere poſſent. *Pauſan. in Achaicis.*

SPECTACULORUM JUS HONORIFICUM.

Berenici, vel Pherenicæ, vel Pheretimæ, ſoli omnium feminarum gymnico ſpectaculo intereſſe permiſſum fuit: G cùm ad Olympia filium Euclea certamen ingreſſum adduxiſſet, Olympionice patre genita, fratribus eandem palmam aſſecutis latera ejus cingentibus. *Val. Max. libr.8. cap.16.*

Fama eſt, filiam Diagoræ Rhodii Olympionicæ Ariſtopateiram Olympiam veniſſe: petiiſſeque ab Hellanodicis, hoc eſt, certaminum arbitris, ut eam ad ſpectaculum admitterent. Qui dum juxta legem ſuam dicerent, mulierem non decere, ut gymnicum agonem ſpectet: reſpondit, ſe aliis haudquaquam feminis parem eſſe, ſed quiddam habere excellentius cæteris, nempe majorum ſe virtutibus munitam: juxtaque & patris, & fratrum ſtatuas commonſtravit. Quo victi Hellanodicæ, legis ſoluta conſuetudine, Ariſtopateiræ ſpectandi fecere copiam. *Gellius lib.1. cap.15.*

Cùm plerique Equitum, attrito bellis civilibus patrimonio ſpectare ludos è quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis: pronuntiavit Auguſtus, non teneri ea, quibus ipſis, parentibuſve equeſter cenſus unquam fuiſſet. *Suetonius.*

LIBERATIONIS NOXIORUM. H

Cardinalis Rom. Eccleſiæ noxios ad ſupplicium ductos galeri ſui impoſitione liberare poteſt. *Alex. Loſſæus ex Paulo de Caſtro in l. addictos, in princ. C. de appell.*

CERTAMINIS.

In Olympicis ludis ad certamen nemo admittitur, niſi qui parentes, & ſtirpem generis eſſe citrà labem omnem edocere potuerit. *Cælius lib.29. cap.8. A. L.*

ADITUS LIBERI, PORTÆ APERTÆ.

Romani Celtis robur, ac vires ſumentibus, fœdus cum eis fecerunt, his conditionibus, ut tributa eis penderent, portamque apertam omni tempore præberent, & terram exercendam concederent. His factis, Celtæ caſtra metabantur. Romani tanquam amici, multa hoſpitalia munera miſerunt, vinique magnam copiam. Celtæ hauſto vino, præ nimia ebrietate proſtrati jacebant. Romani impetu facto eos omnes conciderunt. Ut autem ex fœderum conditionibus omnia viderentur agere, in ſaxo inacceſſo portam apertam ædificarunt, A *Polyænus lib.8.*

INGRESSUS LIBERI.

Feſtus ait, Matronæ à Magiſtratibus non ſubmovebantur, ne pulſari, contrectarique viderentur, neve gravidæ concuterentur. Sed nec viri earum, ſedentes cum uxoribus in vehiculo, deſcendere cogebantur. *Hotoman. de Verbis juris.*

PEREGRINATIONIS LEGATIO LIBERA.

Legationes liberæ dicebantur, quas Senatores privati negotii cauſa à Senatu ad aliquod tempus impetrabant. *Cicero* eas annuas lege ſua fecerat: ſed poſteà (ut ſcribit *lib. ad Attic.* 15.) lege Julia quinquennium iis præfinitum fuit. Eas autem tribus ferè de cauſis poſtulari ſolitas reperio: voti ſolvendi, unde etiam Votivæ plerumque appellantur: periculi vitandi, & hæreditatis, nominumve perſequendorum. Voti ſolvendi exemplum *Cicer. lib. ad Atticum,* 2. ſuppeditat, ubi cùm Clodiani periculi tempeſtatem vitare cuperet, votivæ legationis ſpecie, ac nomine uti voluit. Periculi vitandi exemplum *Plut. in Gracchis* prodit, ubi ait: Senatum Scipioni Naſicæ liberam legationem in Aſia decreviſſe, cùm ob B mortem Tiberii Gracchi, cujus auctor Naſica fuerat, videret plebem malè in illum animatam, & publicum ei judicium molientem. *Cicero* etiam *in prima Philippica* propter Antonium ſcribit ſe jus liberæ legationis habuiſſe. Hæreditatum, & ſyngrapharum idem meminit in Rullum. Memorabile eſt autem, quod ex ipſius ad Cornificium *Epiſt.* 21. *l.*12. obſervavimus: eos, qui cum libera legatione mittebantur, lictores à provincialibus Magiſtratibus, & inſignia cæterorum legatorum accepiſſe. *Hotoman. De Verbis juris.*

LOCI HABITATIONIS PRO ARBITRIO.

☞ *Vide Tit. Liberati à carcere, ab exilio. Illic Servitutis abactæ: hìc Libertatis conſecutæ ratio habetur.*

SOCIETATIS TRIBUS.

Atellanarum Actores apud Romanos tribu non movebantur, ut reliqui hiſtriones: unàque cum cæteris militabant, perinde ac ſi hiſtriones non eſſent. *Sab. lib.3. En.4.*

DOMUS REGENDÆ.

Apud Rom. cùm ſponſa in mariti domum introduce- C retur, clavium traditione illi domus regendæ poteſtas dabatur.

DECUBITUS LIBERI.

Gonoria concubina Ricardi Ducis Normanniæ, ab eo poſt obitum uxoris in matrimonium ducta, nuptiarum nocte prima in lecto dorſum marito obverterat. Inſolentiam admirante duce: In tuo, inquit, hactenus lecto tibi morigera jacui: at poſtquam eum communem tecum mihi eſſe voluiſti, in eo porro tanquam proprio in utrumque latus ſecurè poſſum dormire. *Ægid. Corrozetus de Dictis, & factis mem.*

MORTIS.

Eurydice, Macedonum regina, reverſa ab exilio Polyſperchontis auxilio poſt Antipatri obitum, ab Olympiade conjecta in carcerem, triplicis mortis optionem accepit: gladium, laqueum, & cicutam. Ex quibus laqueum elegit.

POTESTAS BONI CUJUSCUNQUE.

CONSIDERATA RESPECTU PERSONÆ

Poteſtatem Conferentis, & Alterius eandem acceptantis.

D

QUI

☞ *Ex præcedentibus huc pleraque referri poſſunt, ſi auctorem poteſtatis, & privilegii collati ſpectemus, Regem, Pontificem, Patrem, Dominum.*

CUR. CAUSA

Ortus, Nativitatis.

Apud Iſraelitas Primogenitus duplicem partem hæreditatis habebat. Si quis uxores duas haberet, alteram armatam, alteram inviſam, & utraque ei liberos peperiſſet, ſi inviſæ filius primogenitus, non licebat teſtamento filium amatæ primogenitum facere, ſummoto inviſæ filio. *Deut.21.*

Machabæi Scotorum regis lege, Primogeniti cujuſcunque ſexus hæreditatem adeunt. Primogenita tamen, ſi agri, prædiive alterius domino nupſiſſet, hæreditate privabatur. *H. Boethius, lib.12.*

Fœcunditatis.

Jus trium liberorum inſtitutum eſt, ut qui quæve tres liberos ex juſto matrimonio ſuſcepiſſent, iis plurima, præcipuo quodam, & ſingulari jure, præter cæteros concederentur: veluti, ut mulieres vivo patre teſtamentum condere, & rem E ſuam ſine tutorum auctoritate adminiſtrare poſſent: quod *Plut. in vita Numæ* teſtatur. Ut viri excuſarentur ab omnibus civilibus muneribus, quæ patrimonii non eſſent, *lib.2. ff. de vacat. mun.* Ut qui Romæ tres liberos ſuperſtites haberet, à tutelis, & curationibus excuſaretur §.1. *de excuſat. tutel.* Idem autem jus etiam iis, qui tres liberos non habebant, concedebatur: aliud enim eſt tres liberos habere, aliud jus trium liberorum. *Hotom. de Verbis juris.*

Imperii, Tyrannidis.

Lycus Thebanorum tyrannus, ad ſenem Amphitryonē ſedentem, abſente Hercule, cum uxore, & liberis Herculis ad aram, habitu ſupplicis, *apud Eurip. in Hercule furente* inquit:

—— Καὶ δὴ, ἐπεί γε δεσπότης
ὑμῶν καθέστηχ᾽ ἱστορεῖν ἃ βούλομαι;

Quoniam dominus veſter conſtitutus ſum, licet mihi dicere, quæ volo.

Valentinianus à militibus poſt obitum Joviniani Imp. Ancyræ in Bithynia dictus, cùm quidam Equitio, qui Illyrico præerat, faverent, ſuborto murmure, ut fit in tanta militum F multitudine, placida oratione ſedavit tumultum, & collegam, ſociumque tantarum curarum ab exercitu petiit. Et cùm ei frater Valens offerretur, Nicomediam ingreſſus, eum tribunum ſtabuli fecit, dicens: Veſtrum erat, ò milites, me Imperatore non exiſtente, me regno, Imperio præficere: id ubi ego ſuſcepi, meum jam, veſtrum non eſt, de arduis iis rebus cogitare. Sed pauló poſt veniens Conſtantinopolim, magnitudinem negotiorum ſecum volvens, productum Valentem in ſuburbanum Auguſtum pronunciavit, eodemque veniculo ſecum, ut participem legitimæ poteſtatis, eduxit. *Cuſpin. A. D.*

Nobilitatis.

Inter Canonicos non recipere, niſi ordinis miniſterialis, multæ Eccleſiæ per Saxoniam conſueverunt, Magdeburgenſis, Hildeſemenſis, Halberſtadenſis, Mindenſis, Paderbornenſis, Oſnabrugenſis, Monaſterienſis. Sed nulla inter omnes obſtinatior eſt in ea re, quàm Monaſterienſis. Aliæ patiuntur Doctores, aut Licentiatos miniſterialibus comparari. Illa ſolos admittere miniſteriales, quos vulgò naturales appellant. Quidam majoris Eccleſiæ præbendam non habens, præpoſituram tamen adversùs Eccleſiæ ſtatuta in quodam collegio impetrarat, ſed per inſidias cæſus eſt. *Crantz. lib. 11. Metrop. c.47.* G

Potatores.

Quære Bibaces. Ebrietas.

---

* Potus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

POtus, ſive potio Græcè πόσις, πόμα, à poto πίνω, accipiunt pro omni eo, quod bibitur, levandæ ſitis gratia. Vinum Lac, aqua, cereviſia, & his affinia. Et quidem aquæ potio omni animanti naturalis. Principium vitæ hominis panis, & aqua.

☞ *Vide Locum de aqua.*

Vinum quoque ad uſum hominum à Deo datum eſt, quamvis frequenter eo illi abutantur. Verum de vini natura, & H encomiis in loco proprio diſſeremus.

DE POTU ARTIFICIALI, EJUSQUE GENERIBUS.

Ac primùm de Vinis Factitiis.

Vina factitia, & arte parata ad medicinæ potiùs, quam ad vitæ uſum ferè ſunt innumerabilia, quæ alienam habent cum vino admixtam unius cujuſpiam ſimplicis, aut fructus, aut herbæ ſubſtantiam: unde etiam nomina ſua ſortiuntur. Ut vinum Scylliticum è ſcylla paratum, Thetalaſſomenon, id eſt, marina aqua conſtans. Cydonites, Abſinthites, Gyſſopites, Penanthinū, Rhoites, Rhodites, Melomeli, Hydromeli, Omphacomeli, Aromatites, Nectarites, &c. penè infinita, quæ magis ad varios corporis affectus levandos, quam ad quotidianum uſum ſunt excogitata: quibus etiam ſæpè ebrioſi omnes ad crapulam, aliaque corporis incommoda, atque morbos ex immoderata potatione obortos diſcutiendum, mitigandũque utuntur, quos alacrio-

alacriores ad belluinas illas ſuas potationes redeant. De his A vinis vide plura *apud Dioſcoridem l.5. & Plinius l.14. cap.6. Bruyerium, & alios.*

ALII POTUS ARTIFICIALES.

Duo ſunt præter vinum cùm olim, tum hodie quoque triti, & uſitati apud populos, illos præſertim, qui viribus carent, potus, qui tamen etiam vinis factitiis annumerantur, vinum nimirum latius pro quovis potu inebriante accepto.

Primus eſt, qui ex hordeo conficitur, quo Ægyptii olim fuerunt uſi, Ægyptii, inquit *Herodotus l.2. in Euterpe*, vino utuntur facto ex hordeo: deſunt enim in ea regione vites. Hecatæus, *teſte Galeno*, de Ægyptiis ſcribens, illos, & ἀποφάγυς εἶναι, & τὰς χρίθας εἰς τὸ πόμα καταπλένειν, panis eſſe voraces, & hordeum in potum conjicere.

Ibidem in periodo Europæ, pœonas ait bibere βρυτὸν ἀπὸ τῶν χριθῶν, brytum bibere ex hordeis, & parabiam ἀπὸ κέγχρυ καὶ κονύζης, id eſt, mylio, & conyza.

Zythum Ægineta, & recentiores Græci Phucam vocant: *Strabo l.17.* de Ægyto ſcribens, Cereviſia, inquit, quanB quam propriè apud illos fiat, tamen communis eſt, & apud quemque diverſo modo conficitur. Multus ejus in Germania, Britannia, Neuſtria, Picardia, & Belgica Gallia uſus eſt. Conficitur ex hordei, & tritici ſucco, cum lupo ſalictario, quem lupulum nominant. Galli *du Houbelon*, aqua multa fervefactis, & deſpumatis, vehementerque agitatis.

Dioſcorides lib.2. cap.311. duo hujuſmodi ex hordeo potionum genera confici ſcribit, alterum quod Zythum nuncupatur, alterum quod Curnu (φυκάδιον vulgò Græci vocant) & à Poetis quandoque Peluſiacus potus.

Hermolaus, ſed dubitans, Curnu vult idem eſſe quòd Cereviſia? eodem teſte Ariſtotele, pinum vocat, vinum, quod ex hordeo fit.

Suidas, ζυθός, inquit, οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος, vinum ex hordeo confectum: quod Sophocles, & Æſchilus βρῦτον vocarunt.

Ejus authorem primum apud Ægyptios, aut Dionyſium Hammonis filium, aut Oſyridem, quem ille ſibi in filium adoptavit, cujus uxor Iſis fuit, ut eſt apud Diodorum Siculum, omnes ferè fatentur.

C Quare à loco primæ inventionis, Peluſiacus potus à Peluſio Nili Ægyptiaci oſtio nominatur, ſecundum illum verſum à Columella citatum. Et Peluſiaci porriget pocula Zythi: inde ad alias nationes vini nativi copia carentes fuit propagatus, & diverſis nominibus appellatus.

Ariſtoteles quoque πῖνον nuncupavit, nempe vinum hordeaceum, quo temulentos, aut pronos decumbere, aut ſupinos idem teſtatur: in quod vide Juliani Imperatoris elegantiſſimum epigramma apud Pontanum.

Ejuſmodi vinum ex frumentis decoctum Græcis eſt πυρογενές.

Alius eſt potus multis nationibus uſitatus, qui ex pomorum ſucco conficitur, eo modo in doliis ſervatur, & Sidra vulgò ab Hebr. *Secar* appellatur, cujus duo ſunt præcipua genera: Unum quod ex pyris fit, quod à Normannis *du poire* vulgò appellatur, à Græcis ἄπιον ἀπίτης, Latinè pyraticum, nimirum è pyris factum.

Liquaminis è pyris conficiendi rationem ad fœminarum jejunia, quod caſtimoniale dicebatur, vide *apud Benedictum* D *Curtium l.23. hort. c.16. ex Palladio.*

Alterum genus eſt, quod ex pomis conficitur, quod Galli vulgò *du Cydre* appellant. Utrumque genus à Germanis *Hochbaumer, & Barlymoſt* appellatur, hoc eſt, potus arboreus, ſive pyraceus.

Apud Hebræos potus ex omni pomorum genere confici ſolebat, qui quidem *Secar* fuit appellatus.

Hieronymus in illud Levitici 10. *Vinum, & Siceram non bibes, &c.* annotat hac voce comprehendi quicquid inebriare poteſt, quod tametſi verum eſt: tamen magis propriè ab aliis videbatur definiri, qui hac voce volunt notari omnes potiones è fructibus expreſſas, quarum eadem ferè eſt ſuavitas, atque illecebra, quæ vini.

Apud Orientales certè hodie tam ex dactylis palmarum, quàm ex aliis fructibus, ſuaviſſimi delicatiſſimique potus conficiuntur.

* Præbenda.

E

Definitio, et Etymologia.

PRæbenda à præbeo, numeri pluralis, erant olim ea, quæ Legatis publicè miſſis per Parochos dabantur, nempe ligna, & ſal. Ita *Horatius lib.1. Serm.5.*

Proxima Campano ponti qua villula, tectum
Præbuit, & Parochi quæ debent ligna, ſalemque

☞ *Vide in Loco de Parocho.*

Nunc inter Eccleſiaſticos uſus hujus vocis pro Beneficio Eccleſiaſtico accipitur, ac plerumque pro eo, cui animarum cura non annectitur. Sive malis, pro fructibus, & emolumentis Beneficio annexis, aut ab eo provenientibus: ſic ut dignitatem, aut munus aliàs competens hac voce non notetur. Unde in publicis inſtrumentis fit communiter mentio Canonicatus v. g. & Præbendæ in tali Eccleſia. ☞ *Vide Locum de Beneficio Eccleſiaſtico.*

☞ *Præbendæ Eccleſiaſticæ quibus conferendæ, Vide Locum de Beneficiis.*

Præbibere.

F

Quære infrà. PROPINARE.

* Præceptor.

Definitio, et Etymologia.

PRæceptor, à præcipio, quod docere ſignificat, & inſtituere Græcè καθηγητὴς Hebr. *Melammedh*, à verbo *Lamadh*, didicit, & in 2. Conjugatione *Limmadh*, docuit. Hebræi ſtimulum aratoris *Malmadh* appellant ab eodem verbo derivatum.

PRÆCEPTORUM MUNUS LAUDABILE, ac Utile Reipub. et Quales Præceptores eſſe conveniat?

Nullum munus Reipub. afferre majus, meliuſve poſſumus, quam ſi doceamus, atque juventutem erudiamus, iis præſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda, atque coercenda ſit. *Cic.3. de Divin.* G

Pædagogi graves ſint in primis, liberique ab omni vitæ crimine: dehinc egregiè docti. Nam quemadmodum nutricum, quanto purius, incorruptiuſque lac fuerit, tanto infantum, qui eo aluntur, valetudo magis, atque robur adjuvatur. Ita ii, quo electiores literas, & mores habuerint, eo etiam diſciplinis firmiora relinquent probitatis, & doctrinæ altius demum ſurrectura veſtigia. Nec dubitandum erit, quin à principio præſtantiſſimus pueris doctor eligatur, licèt ad imbuendam rudem adhuc ætatem mediocriter etiam doctus quiſque, ac gregarius ſufficere videatur. Nam quò eruditior fuerit, eò faciliorem, clarioremque doctrinam miniſtrabit, quæ puerorum maximè nutrit ingenia: jacent etiam in eis certiora litterarum, ac rectiora fundamenta, quæ non aliter ac jactaverint, perpetuò ſecum ſedebunt, atque infixa perdurabunt. Præſtabit quoque eruditores eis præficere, placidi, ac mitis ingenii. Nam præceptorum inhumanitas maximè impedit profectum, qui ad literas in ea ætate fit. Imitantur etiam facillimè pueri mores, quos in majoribus ſuis aſſiduè conſpiciunt: in quo præclarum eſt illud, quod apud Platonem edu- H catum puerum, ad parenteſque poſteà reductum, cùm ſublata voce excandeſcentem conſpiceret patrem, dixiſſe ferunt: Nunquam hæc apud Platonem vidi.

Catoni fuit pædagogus Sarpedon, homo comis, atque urbanus: & qui verba magis, quam verbera in promptu haberet, qui illi admodum ad literarum, morumque rationem profuit, parebat ei Cato, faciebatque omnia illius juſſu, ſingulas cauſas, rationeſque ab eo efflagitans, ac tanquam divinum quoddam oraculum eum obſervans. Præſtat igitur, ut magiſtri pueros ſibi commendatos non aliter quàm filios omni cura, & amore proſequantur, nullum denique refugientes in erudiendis eis laborem, pro quibus, cùm perfectam ad eruditionem evaſerint, non minus gaudebunt, quàm agricolæ pro plantatis arboribus, cùm dulcem edunt fructum. *Hæc Philelph. l.2. de educatione liberorum.*

Cùm inter Magiſtros aliquot proponerem de hypodidaſcalo, quidā non infirmæ opinionis ſubridens. Quis, inquit, ſuſtineat in ea ſchola vitā agere inter pueros, qui poſſit ubivis quo-

modo

modocumque vivere, reſpondit moleſtius: Hoc munus mihi A videri vel in primis honeſtum, bonis moribus, ac literis inſtituere inventam, neque Chriſtum eam ætatem contempſiſſe, & in nullum rectius collocari beneficium, & nuſquam expectari fructum uberiorem, utpote cùm illa ſit ſeges, ac ſylva Reip. addidi, ſi qui ſint homines veri, pii, eos in hac eſſe ſententia, ut putent, ſeſe nullo officio magis demereri Deum, quam ſi pueros trahant ad Chriſtum. *Eraſm. in l. Ep.*

Porrò ſortem tuam ut laborioſam non negaverim, ita tragicam (ut tu vocas) aut deplorandam eſſe prorſus inficior. Ludi literarii magiſtrum eſſe, proximum regno munus eſt. An tu putas ſordidam eſſe functionem, primam illam ætatem tuorum civium optimis literis, & Chriſto ſtatim tribuere, totque probos, & integros viros patriæ tuæ reddere? ſtultorum opinione humilius eſt, re longè ſplendidiſſimum. Etenim ſi Ethnicis quoque ſemper præclarum, magnificumque fuit de Rep. bene mereri, dicam audacter, nemo melius de ea meretur, quàm rudis pueritiæ formator: modò doctus, & integer: quæ duo ſic in te paria ſunt, ut neſciam utro teipſum ſuperes. Jam quod in ſalario diminutum eſt, Chriſtus ipſe de ſuo penſabit abundè: ſiquidem ipſa virtus B ſatis amplum ſui præmium eſt. Neque verò quicquam moveat animum tuum, quod vides quorundam ignaviſſimo otio, tantùm annuo cenſu è publico decretum, qui ſibi vivant, ac non, ex uſu Reip. ei verò qui communis eſt omnium liberorum parens, & in re maximè omnium neceſſaria, tantis ſudoribus agi publicum negotium, tam malignum ſtipendium exſolvi: integrum, & incorruptum virum munus hoc requirebat, cuique vel gratuita pietas cordi ſit. Itaque magnitudo ſalarii, dignitaſque propoſita ſceleratiſſimum quemque ad hoc negotium pelliceret. Ipſe, mi Sapide, dignitatem addes ex tuis dotibus muneri, ſi parum apud homines ſplendido, certè apud Chriſtum magnificentiſſimo decoraberis. *Eraſm. farragine Epiſt. ad Joan. Sapidum.*

Externa ſunt, magiſter, & inſtrumentum: Magiſtro non ſatis eſt benè, quæ profitetur ſcire, niſi expeditè ea poſſit explicare, & artem, dexteritatemque ad rem adjungat: quod ſi contingat, breviter ad magnam eruditionem docilis diſcipulus evadet.

Alterum præceptoris officium eſt, emendare, ac corrigere, quod non minus eſt utile, quàm umbratilis explicatio præceptorum, & eo magis ſi corrector, cur quicquam vel probet; C vel reiiciat, tum norit ipſe, tum ſciat tradere, & velit diligenter explicare. Vitamus enim damnata, pergimus quà videmus eum præire, ac nos ducere. Quod ſi ſolidi ſit, & exacti ingenii, ac judicii præceptor, plus ab emendatione paratur judicii, quàm ex aliis omnibus ſcholæ exercitamentis. *Ludovic. Vives lib. de Anima, & Tit. de ratione ſtudii.*

Primùm memineritis, oportere vos eorum, quos accepiſtis inſtituendos, ſic ſatagere, ut ſimul docti fiant, & imbuantur moribus: quia,

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diù.

Atque adeò à teneris aſſueſcere multùm eſt, nec ſolùm Rectores, Magiſtroſque vos eſſe adoleſcentum, ſed & parentes putetis: ſcitis enim illud, qui præceptorem ſancti voluere parentis eſſe loco: equidem bonos maloſve vos eſſe tantùm referre exiſtimo, ut auſim dicere bonorum, malorumque omnium, quæ ubique fiunt terrarum, vos eſſe potiſſimam cauſam: nam Juriſconſulti, Philoſophi, Rectores D urbium, Principes, Duceſque, ac Reges, nec-non Monachi, Sacerdotes, Epiſcopi, Cardinales, ipſique Summi Pontifices, & denique quicunque vel ſolas literarum notas tenent; ſub diſciplina olim veſtra fuere parvuli, à vobis inſtituti ſunt, virtus veſtra, vitiumve eorum profuit, aut nocuit moribus. Tantùm valet longa conſuetudo, ut ſi cum ſancto diu vixeris, ſanctus futurus ſis: ſi cum perverſo, pervertaris. Siquidem (ut inquit Fabius) Leonides Alexandri pædagogus quibuſdam eum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, ac maximum Regem ab illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta. Quamobrem quantum boni, & ſancti præceptores civitatibus proſint, non facilè dixerim: quantum obſint pravi, & vitioſi, non queo dicere. Quare non poſſum non multùm mirari, nullam ferè puerorum patribus, & rectoribus urbium in eligendis præceptorum moribus eſſe curam. Non animadvertunt, quantum inde boni, malive infundatur in civitates: nam quales ſunt, qui inſtituunt tales, & qui inſtituuntur, velint, nolint, evadent longa die.

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Videte igitur vos, qui & longo tempore, & aſſiduè teneros, & ſimplices adoleſcentulorum animos inſtituitis, quantum & E prodeſſe poteſtis, & obeſſe hominibus. Quod ſi quiſquam eſt ſic oblitus ſui ipſius, ut agnos ſuæ commiſſos fidei ſeu lupus devoret: heu quanta illum pœna apud Manes vel brevi expectat: nam qui ita pernicioſi ſunt, ut non ſolùm obſint, quod ipſi corrumpuntur, ſed & quod corrumpunt, pluſque exemplo quàm peccato nocent: immatura morte, ne tantùm obeſſe queant, decedunt. *Aldus Manutius Rom.*

DE PRÆCEPTORIBUS, EORUMQUE OFFICIIS.

Apophthegmata.

Olim in ſcholis pingi ſolebant Muſæ, ceu ſtudiorum præſides: ingreſſus igitur ſcholam Diogenes, cùm videret multas Muſas, diſcipulos admodum paucos, dixit præceptori. Cùm diis multos habes diſcipulos; ludens ex ambiguo ſermone. Nam Græci cùm diis dicunt, pro eo quòd nos dicimus, faventibus diis. Interdum σὺν, id eſt, cum, ſignificat comitem. Cum multis te defendi, id eſt, multi mecum te de- F fenderunt. *Laert. lib.6.*

Idem puerum conſpiciens indecorè ſe gerentem, pædagogum illius baculo percuſſit, dicens: Cur ſic inſtitutis? Indicans primæ ætatis formatoribus potiſſimùm imputandum eſſe, ſi adoleſcentes evadunt malè morati, aut ſecus. *Aphthonius, & Priſcian.*

Socrates, cùm Xenophontem obvium interrogaſſet, ubinam locorum variæ viderentur merces, quibus vulgò utuntur homines? & promptè ad hoc reſpondiſſet Xenophon, interrogavit iterùm, ubinam homines fierent meliores? at cùm adoleſcens reſpondiſſet, ſe id neſcire: Me ſequere, at Socrates, & hoc ex me diſces: Abſurdum eſt, ſcire, ubi ea, quæ ad victum ſunt venialia, reperias: ubi autem doctus, & probus evadas, negligere. *Eraſm. l.3. apoph.*

Cùm Æſchines ambiret eſſe de numero diſcipulorum Socratis, excuſaretque verecundè paupertatem ſuam, ac moleſtè ferret, quòd cùm Socrati cæteri amici divites multa largirentur, ſibi nihil eſſe quod daret, præter ſeipſum: An non intelligis, inquit, quam magnum munus mihi dederis, niſi fortè teipſum parvi æſtimas. Itaque mihi curæ erit, ut te tibi reddam meliorem, quàm accepi. Alii Sophiſtæ, cùm meras nugas docerent, nullum admittebant diſcipulum, niſi magna mercede, G Socrates nihilominus libentius recepit inopem, quàm opulentos. *Idem ibidem, ex Seneca.*

Anthiſtenes rogatus, cur eſſet in diſcipulos tam ſeverus? Et Medici, inquit, ægrotos ſuos ſimili modo obiurgant. Significans ſe in vitia ſævire, & non in homines, & diſcipulos, nec vitia ſanari blandiendo. *Laert. l.6. c.1.*

Cùm Agaſicli Lacedæmoniorum Regi diceret quidam, admirari ſe, quòd cùm eſſet avidus diſcendi, non adjungeret, ſibi philoſophantem ſophiſtam, regali prorſus indole: reſpondit, eorum volo eſſe diſcipulus, quorum ſum, & filius, ſignificans, non minus intereſſe, quos nactus ſis parentes, quàm quos adſciſcas præceptores. Etenim ut liberi fermè referunt Majorum, unde prognati ſunt, ingenium: ita præceptorum vitia demigrant in eos, quos conſtituunt. Et honeſtæ vitæ inſtitutio potiſſimùm ab illis petenda eſt, qui virtutem ipſis factis præſtiterunt, non ab iis, qui compoſitis arte verbis de virtute nugantur. At H nunc ſummi orbis Monarchæ futuri, Deum immortalem, quibus interdum viris à teneris formandi, inſtituendique creduntur; cùm principi non minus tum pernicioſum ſit, tum indecorum, ab inhoneſtis inſtituti, quàm naſci. Nec quælibet artes diſcendæ ſunt principi, ſed hæ duntaxat, quæ tradunt rationem rectè adminiſtrandi regnum. *Eraſm. ex Plut. in Lacon.*

Laco quidam pædagogus pueri cura ſuſcepta, cùm interrogaretur, quid eſſet illum docturus? Efficiam, inquit, ut honeſtis delectetur, turpibus offendatur. Nihil efficacius ad veram felicitatem, quàm amare virtutem propter ſe, odiſſe vitium propter ſe. *Plut. in Lacon.*

Spartanus quidam interrogatus, quid conferrent utilitatis pueris adhibiti pædagogi? Efficiunt, inquit, ut quæ ſunt honeſta, pueris eadem fiant etiam jucunda. *Idem ibid.*

Alexander Ariſtotelem, cui puer formandus fuerat traditus, ſumma veneratione proſequebatur, dicens: Se illi non minus quam patri debere, quod à patre vivendi, à præceptore benè vivendi initium accepiſſet. *Plut. in ejus vita.*

PRÆ-